DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

POTESTATE DIABOLI IN CORPUS HUMANUM,

QVAM

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJEST. REG. BORUSSIÆ AULICO ET CONSISTORII MAGDEBURG. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXV. D. AUG.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

JOHANNES FRIDERICUS CORVINUS,

FRIEDEBERGA-NEOMARCHICUS.




CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY



PROOEMIUM.

MOrborum multitudo, quam *Plinius Hist.nat. Lib. 7. cap. 51.* infinitam esse judicat, medicorum scrutinia adeo operosa reddit, ut circumspecta attentione opus sit, ne peregrinæ & a veritate alienæ causæ animum distrahant, quoniam quilibet morbus varios causarum concursus involvit; unde illud contingit, quod *Galenus lib. 8. de compos. medic.* differit: *falsæ opiniones, animos hominum præoccupantes, non solum surdos, sed & cæcos faciunt, ita ut videre nequeant, quæ aliis conspicua apparent:* Et hæc morborum congeries, non modo eo usque interdum animum seducit, ut sæpe novi fingantur morbi, ubi antiqui & consueti quadantenus mutati adsunt & propterea ipsi Medici de existentia novorum morborum differunt, vid. *Bootius de affectibus omissis cap. 2. Hæchstetterus observ. medic. decad. 1. p. 21. Joh. Heurnius in Epist. ad Henr. a Bra de morbis novis & admirandis, Möllenbroc de arthritide vaga scorbutica p. 2. seq. Joh. Maynerius de morbis quibusdam ignotis p. 6. Franckenau Satyra Medica XVII. §. 3.* sed & variæ abstrusæ & intricatæ morborum cau-

 sæ

ſæ excogitentur & accuſentur, quæ naturalem ordinem non advertentes, ad alias ſupranaturales vires & immediatos illarum concurſus confugiunt, quamvis illa prudentia ubique obſervanda veniat, ut tamdiu ſublimiores influxus immediatos haud convocemus, quamdiu naturalis perſpicua & ſolida ratio locum invenit, quam meditationem e Theologis *B. Spenerus* confirmat **in der Lauterkeit des Evangeliſchen Chriſtenthums** *Vol. I. Part. I. p. 420.* etenim dum *natura interdum mirabilia operatur*, ut *Hippocrates in libr. de lege & dec. orn.* docet, imo dum *multa adhuc natura habet, quæ nondum detexit*, docente *Rejeſio in Camp. Elyſ. quæſt. juc. qu. 67. p. 899.* ita *non ſtatim illa neganda ſunt, quæ intellectus capere non poteſt*, monente eodem *qu. 58. p. 741.* ob id etiam omnium morborum cauſæ magna circumſpectione ſunt indagandæ; facile enim morbi corrupti, complicati, hæreditarii, habituales &c. alienis adſcribi poſſunt cauſis, quando illorum indoles nondum ſufficienter perſpecta & detecta eſt, hinc facile iterum credula & ſuperſtitioſa ingenia peregrinos influxus accuſant, uti inter alios teſtatus eſt *Ant. Deuſingius in diſquiſ. med. de morborum quorundam ſuperſtitioſa origine & curatione:* ſingulare ſpecimen ex antiquitate in foro & hiſtoria medicorum innotuit, ubi nonnulli morbi, quorum naturales cauſæ non facile inclaruerunt, ſublimioribus cauſis adjudicati fuerant, dum morbus ſacer, attonitus, archealis, hyperphyſicus (cujus Joel mentionem fecit) occultus, ſidereus, veneficus, venenatus, &c. extra ſphæram naturalium virium paſſim explicatus proſtat; quare nonnulli τὸ θεῖον in morbis extollere, deprædicare &

admi-

admirari ſolent *conf. Hier. Jordanus de eo, quod divinum aut ſupernaturale eſt in morbis humani corporis ejusque curatione:* Ignavia ſane rationis eſt, quando citra ullam applicationem & attentionem intricati morbi confeſtim abſconditis adſcribuntur cauſis; ubi ſæpe obſcurum per æque obſcurum proponitur & ignorantia elenchi magis manifeſtatur: luxuriantis vero viciſſim & altius ſapientis animi index eſt, quando nonnulli morbi, quorum cauſæ ad naturæ ordinem haud pertinent, tamen miris ſpeculationis & figmentorum larvis atque chimæris colorantur & nudis potentiis naturalibus exornantur, ſub illo vano protectorio, quod multa adhuc in univerſitate rei ſint abſcondita, unde quidam ex occultis ad luculenta argumentari, a poſſibili ad vera, certa & evidentia concludere, a præſumptionibus & præſuppoſitionibus ad demonſtrationes infallibiles transgredi haud erubeſcunt: Media ſane hic eligenda erit via, ne videlicet facile creduli & ſuperſtitioſi, neve etiam plus quam decet dubii & ſuſpicaces ſimus: Ex illis ſupranaturalibus potentiis, quæ ad obſcurorum morborum explicationem applicari ſolent, ſunt vel divinæ, vel dæmoniacæ: quod divinos concurſus in morbis attinet, tunc nobis de eo non eſt ſermo, quod in omni morbo divina directio, providentia & permiſſio concurrat, illud potius hoc loco intelligimus, an immediatus talis divinus influxus in quibusdam morbis agnoſcendus & demonſtrandus veniat: quod hoc eveniat extra omnem dubitationem eſſe poteſt, id quod e lumine rationis & revelationis facile confirmare licet *conf. Ludov. ab Hornig WürgEngel:* quod vero in hac medita-

 dita-

ditatione præcipue inter Pontificios magna committatur superstitio testantur varia morborum specimina, quæ diversis divis s. sanctis imputantur *vid. Paracels. lib. 1. de orig. morb. invis. Ath. Kircherus in Scrutin. Pestis. Helmontius de Magnet. vuln. curat. Garmannus de mirac. morb. Dissert. proœmial. Sect. 1. §. 15. seq. p. 134. seqq.* Proinde vero diversæ confusæ & truculentæ ægritudines Diaboli mortificinæ & potentiæ adsignantur, adeo ut vel diutius perseverantes, vel leviter intricati morbi, veneficii macula notentur, **es sey einem gemacht, man sey behext, beschrieen, bezaubert, über eine böse Stätte gegangen** rc. Haud negamus quod de infernali hoste illud *Virgilii lib. 4. Georgic. quod formas se vertat in omnes* & illud *Ovidii lib. 2. de arte* valeat, quod *vivat semper in armis* & quod hic ἀντίδικος *adversarius sicut leo rugiens, circumeat, quærens, quem absorbeat 1. Petr. 5. v. 8.* interea tamen prudentia opus est, ne diabolo imputemus, quæ sunt naturæ, neve naturæ ordines, vires, processus & concursus cum sublimioribus causis commisceamus, sed in hac morbosarum afflictionum indagine omnem vanam superstitionem sollicite evitemus: enim vero *lethum est peccati thesaurus Rom. 6. v. 23.* & *invidia diaboli mors ingressa est in mundum, & tentant eam qui illius partis sunt Sap. 2. v. 24. 25. diabolus vero ab initio peccat, & qui facit peccatum ex diabolo est 1. Joh. 3. v. 8.* quare hoc respectu diabolus, peccatum, morbus & mors in aliquo nexu stant; an vero omnis morbus proximus, aut plane immediatus effectus diaboli sit, alterius est disquisitionis; quare multi jam medici intricatam illam quæstionem scrutati sunt & ventilarunt, an Diabolus vim ha-

habeat operandi in corpus humanum, ſicut ex antiquioribus innotuerunt *Problemata Jani Matth. Duraſtantis*, quorum prius ventilat *an dæmones ſint, & an morborum cauſæ exiſtant*, quam conſiderationem paſſim *Paracelſus*, præcipue *in lib. de ver. infl. rer.* tractat: Quoniam itaque hæc disquiſitio, an Diabolus corpus humanum affligere & in eodem morbos cauſare queat, multis partim difficultatibus, obnoxia, partim ſobriæ & iudicioſæ penſitationi & deciſioni ſubjicienda eſt, propterea pro themate Inauguralis Speciminis ſelegimus brevibus diſſerere de POTESTATE DIABOLI IN CORPUS HUMANUM: Quo itaque in ardua hac meditatione in luce & veritate ambulemus, ut pernicioſas Satanæ technas ſignificemus & dehinc panoplia ſpiritualium armorum inſtructi, ipſius inſidias piis evitemus precibus, ita precamur ut Deus pacis conterat Satanam ſub pedes noſtros brevi & præſenti huic labori ſua gratia annuat.

§. I.

ENergiam Diaboli in corpus humanum *aſſerentes* & proponentes, mox in limine hujus diſquiſitionis *tenorem tituli* ſive thematis & quæ conſiderationes ex eodem fluunt, ſignificare lubet: Quæſtio itaque ventilanda occurrit, *an Diabolus proxima & immediata operatione hominum corpora alterare, affligere & morbis evidentibus invadere* queat? quam quæſtionem ſicut aliqui *negativa* decidunt, quidam viciſſim nimia *credulitate* affirmant, adeoque interdum *Diaboli* viribus adſcribunt, quæ adhuc ad ordinarium *naturæ* ſtatum & proceſſum pertinent,

tinent, ita brevi explicatione inquiremus, *quousque* Diaboli *vis* in corpore humano pertingat & an ad *morbos* in *corpore* humano provocandos valeat: E recentioribus scriptoribus generice hanc diaboli potestatem in corpora naturalia adseverarunt *Buddeus in Bekerianismo rejecto.* & *Theologia Dogmatica Lib. 2. cap. 2. Grapius in Theologia recens controversa continuata cap. 3. qv. 9. num angelorum imprimis malorum quædam in hoc mundo detur operatio. Joh. Clericus in Pnevmatol. Sect. 2. cap. 4. p. 79 seq. Rumpæus in diss. utrum detur aliqua diaboli in hoc mundo operatio, Joh. Mich. Langius differt. de corporali obsessione, B. Spenerus* in der Lauterk. des Evang. Christenth. *Domin. Invocavit, Reminiscere & Oculi Part. I.* uti ex antiquioribus *Mich. Pselli lib. de operat. dæmon.* aliqua testimonia huc spectantia profert: Ut vero clarius hujus thematis valorem indicemus & explicemus, tunc per *Potestatem*, non modo in *abstracto* consideramus *vires* diaboli in *relatione* ad *corpus* & an forte hic cacodæmon possit *active* in corpora influere & vel *ab extra* velut corpora impellere & actuare, aut *in corpora* se insinuare, corpora *assumere* iterumque deserere, sed & quod hoc ipsum secundum suam *energiam* qua hoc efficere *potest*, *actu* etiam exequatur; alias iterum dubium oboriri posset, an diabolus id æque *in actum* deducat, quod per suas vires exequi *potest:* sicut quidam de *anima hominis* judicant, quod quidem *corpus* actuare possit, sed quoniam cum *dignioribus* & præstantioribus operationibus occupata est, propterea ipsa viliores & *ignobiliores* has functiones *aliis* causis expediendas & perficiendas committat: quare hoc themate asserimus, quod Diabolus non modo *possit*, sed & *soleat* in *corpora* operari: & hæc potestas ita comparata est, ut ex *spirituali* hujus hostis essentia *deliberato* studio & arbitrio egrediantur *motus corpora* occupantes & *actuantes*, ita ut vel *immediate* ipse in *crassa* operari possit corpora, vel *mediate* primum in *subtilia* & ex his in *crassa* corpora *activa* influat virtute; siquidem vel *immediate* ipse grande ædificium vel Palatium evertere, vel *mediante vento* id efficere potest,

eſt, teſtimonio *venti magni, qui venit e tranſitu deſerti & attigit quatuor angulos domus & cecidit ſuper pueros Job. 1. v. 19.* aut teſtimonio *ignis Dei*, qui e cœlo cecidit & ſuccendit gregem & pueros, ibid. *v. 16.* imo teſtimonio *boni angeli*, qui *lacum* Bethesdam, *lapidem* ad oſtia ſepulchri Chriſti, imo ipſam *terram* motu eminenti affecit: qui itaque poteſt *magis*, is etiam poteſt *minus*; quare *poteſtas* Diaboli ad *corpora diverſæ* magnitudinis ſe extendit: ſi vero Diabolus poteſt per *ſubtilia* corpora *craſſiora* actuare, ita porro hæc Poteſtas eo etiam tranſit, ut *mediantibus* aliis *ſpiritualibus* cauſis in juſta *ſubordinatione corpora* motu afficere queat; & quidem *applicative* & *concretive* rem enunciando, ut *animam* hominis corrumpere, eidem *perverſas* tales *ideas* & *ſenſationes*, *pavores*, *terrores*, *illecebras*, pravosque alios affectus *communicare* queat, ut ſubinde *propter* has corruptiones miræ alterationes & *offenſiones corpori* inferantur: quare *prævio* quodam adſerto affirmamus, quod Diabolus vel *immediate* ipſum corpus per *motum*, *ex ipſius eſſentia*, exeuntem, tali modo, qualis cauſæ *ſpirituali* i. e. incorporeæ competit, contingere, vel *mediante anima*, quæ alias *ſuum corpus* neceſſariis inſtruit motibus, hanc corporis offenſionem adminiſtrare queat: Et hæc *generalis* meditatio concernit *Poteſtatem*, qua pollet Diabolus *operandi* in *corpus* humanum. Quod denique Angeli corpora movere poſſint, demonſtravit *Buddeus in Theol. Dogmat. Lib. 2. cap. 2. §. 27. p. 402. ſeq.*

§. II.

Quo vero hæc *Poteſtas*, generice modo annotata, clarius innoteſcat, proxime indicandum erit, quid per *Diabolum* intelligamus; eſt itaque *Diabolus Angelus a Deo primum optimis & perfectiſſimis qualitatibus præditus, creatus, ob ſuam vero ambitionem omni beatitudine orbatus & extremæ condemnationi traditus, mali non modo origo, ſed omne malum contra Deum & opera Dei indefeſſo ſtudio tentans, adeoque*

eoque tanquam perpetuum hostem boni se exhibens: Angelum nominamus diabolum: propterea nobis Angelus est Creatura mere *spiritualis*, eximio *intellectus* acumine & valore prædita, a Deo in honorem & servitium sui, proinde vero ad officia aliarum creaturarum condita & destinata: *Superant* itaque Angeli suis viribus *alias* causas spirituales, cum *corporeis* tamen domiciliis connexas; quo magis itaque *spiritus* a subjecto corporeo *liber* est, eo *major* illius vis esse observatur; siquidem de ipsa *anima humana* constat, quod *rationis* suæ acumen in *sublimiorem* evehat gradum, quo magis a *corporeis* occupationibus se liberat & separat, hinc corpore *teneriores* homines, utplurimum animo *activiores* & prudentiores esse solent: Angeli vero a condito mundo tanquam *proximi Servi* Dei *majoribus* adhuc pollent viribus, quam *alia* principia *incorporea*, corpori tamen *indita* & cum corpore *activa*: Angeli itaque sunt creati & qualificati *veritate*, hinc *lapsi* angeli non steterunt in veritate Joh. 8. v. 44. quare *ab initio* angeli eximio sapientiæ, gloriæ & potentiæ fastigio exornati fuerant: Diabolus utpote *Angelus* non perdidit suam *essentiam*, adeoq; adhuc *illis* viribus pollet, quæ competunt in *abstracto causæ spirituali* sublimiori, unde non perdidit omnem aut plurimam φρόνησιν, potentiam & *intellectus* reliquos gradus, inquantum hi competunt *naturæ angelicæ*; *perdidit* quidem illam qualitatem, qua mediante singulam suam capacitatem in *communionem Dei & beatitudinis* summæ transtulit, quare suo *lapsu* destitutus est *justitia*, *divina* gratia, *cælesti* beatitudine, imo illo *eximio* virium angelicarum robore & gradu, ita ut quoad hasce vires in *relatione* ad *bonos* angelos imbecillus & *enervatus* sit, in relatione vero ad *reliquas* creaturas adhuc *eximio* polleat robore & multis modis *alias* causas & vires *operatrices* intellectus *acumine* & reliquarum virium valore *superet*, licet nihilominus aliqua caligine præditus sit, *conf. Buddeus l.c. §. 36. p. 417.* minime vero asserimus, quod Angeli sua *essentia corporei* existant, sed

potius

potius asseveramus, quod *essentialiter* ab aliis creaturis *visibilibus* & in externos sensus incidentibus, sint separati, quare non aethereae, sed spiritualis, *immaterialis*, incorporeae essentiae: in quo vero haec essentia consistat, nulli eruditorum cognitum esse judicamus; nam assertio quod *essentia* spiritus in *activitate*, in vi motrice, in *mente* consistat, ab omni *sobria pnevmatica* abludit, quando inter *essentiam* & *qualitatem* rei perpetua agnoscenda erit *differentia*: neque inde ullum eminet jus aut argumentum *angelis* essentiam *corpoream* tribuere, quia Spiritus essentia ignota est, sicut aeque absurdum esset, ita argumentari, quia essentia materiae incognita est, ergo materia non est corporea: etenim hac argumentatione utitur *Websterus* quando **in der Untersuchung der vermeinten und so genannten Hexerey** *cap. 10. §. 13. seqq.* angelis adscribit essentiam corpoream: Haud quidem hoc loco nostrum propositum permittit, neque officium nostrum requirit ex instituto illud assertum demonstrare, quod angeli sint *sua natura incorporei*, quam sententiam facile ex *lumine rationis* & *revelationis* confirmare possumus; illud tantum brevibus indicamus, quod falsa sit argumentatio, quasi propterea angeli, si mere *spirituales* adeoque immateriales essent, quoad essentiam suam cum *essentia Dei* convenirent; enim vero *materiae* quoad suas *species*, *essentialiter* differunt, sed differunt etiam subinde quoad *attributa*, relationes & sic dictas *vires*; cur itaque causis & subjectis spiritualibus denegatur differentia, siquidem Deus est ens quoad *omnes* qualitates *perfectissimum*, angeli vero, licet sint spirituales, essentialiter tamen a Deo, velut *creatura* a creatore discrepant, uti *animae* ab *angelis* perinde *essentialiter* differunt; hinc *essentia immaterialis* non minus *differre* inter se potest ac *essentia materialis*: haec si veritati non consona essent, tunc sequeretur, praeter Deum, *omnes* creaturas esse *materiales*, *motum* esse materialem, *ideas*, *cogitationes*, omnes reli-

reliquas operationes mentis esse materiales, ut & *bonas cogitationes*, a *Spiritu Sancto* provenientes esse *materiales*, & si *effectus* de sua *causa* testatur, ipsum *Spiritum S.* esse materialem &c. quas *impias* & ab omni *sobria* & sana Philosophia alienas considerationes & sententias rejicimus & cane pejus ac angue fugiendas esse judicamus; siquidem ex *falso theoremate* non nisi falsæ & *malæ consecutiones* fluere solent; cum vicissim hæc *genuina bonæ* Philosophiæ sit *docimasia* atque proba, quando *consecutiones* æque *ingenuæ* & sobriæ sunt ac *fundamentales* sententiæ existunt & vice versa.

§. III.

Ex prædictis itaque, inferimus quod in genere Diabolus *magnis* adhuc polleat viribus, neque adeo debilis & *infirmus* fingendus sit, siquidem *supposita* talis imbecillitas nulla *solida* ratione demonstrari potest; (de existentia enim Diaboli hoc loco agere, vix tempus & limites nostri propositi permittunt, interim data occasione D. D. Præses peculiari dissertatione Angelorum existentiam ex rationis & revelationis lumine cum DEO demonstrabit: de reliquo hoc loco ad minimum indicamus, quod *Masius existentiam dæmonis ex lumine rationis* demonstrare annisus fuerit:) quod enim *lapsus* diaboli magis concernat privationem *beatitudinis*, minus vero *omnimodam energiam*, *Spiritui* subordinato & creato, competentem, antea indicatum fuit: errant propterea illi, qui Diabolum ita *absolute* vinculis ligatum supponunt, ut *nullam* plane vim habeat in *spiritualibus* & *naturalibus*: quod enim angeli mali catenis tenebrarum & vinculis perpetuis sub tenebris reservati sint, secundum *2. Petr. 2. v. v. & Jud. v. 6.* nondum demonstrat, quod diabolus *debilis* sit spiritus, neque tantas technas stupendas edere queat: quare hoc loco tantum ex Sacro Codice Cacodæmonis prædicata annotabimus, quæ omnia hostem *calli-*

callidum & *validum* denotant, appellatur enim ille *potestas* ἐξουσία die Gewalt, *tenebrarum Coloss. 1. v. 13.* ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος *Deus seculi 2. Cor. 4. v. 4.* ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου *princeps hujus mundi Joh. 14. v. 30. cap. 12. v. 31. principatus, potestates mundi potentes tenebrarum seculi hujus, spiritualia malitiæ in subcœlestibus Ephes. 6. v. 12. fortis armatus Luc. XI. v. 21. princeps potestatis aëris, spiritus qui nunc operatur in filiis incredulitatis. Ephes. 2. v. 2. Draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas. Apoc. 12. v. 9. Leo rugiens 1. Petr. 5. v. 8. homicida ab initio Joh. 8. v. 44. Sapient. 2. v. 24. in quo sunt profunda* τὰ βάθη τοῦ σατανοῦ *Apoc. 2. v. 24. princeps dæmoniorum Luc. XI. v. 15. qui primos nostros parentes ad deplorandum seduxit lapsum Gen. 3. v. 1. seq. Joh. 8. v. 44. 2. Corinth. 11. v. 3. Rom. 5. v. 15. Eph. 6. v. 11. qui seducit orbem terrarum totum Apoc. 12. v. 9. cujus potestas omnes illos afficit, qui Deum contemnunt Tob. 6. v. 17. 18. qui habet tela ignita Ephes. 6. v. 16. 1 Petr. 5. v. 8. qui virtutem habet mortis Ebr. 2. v. 14. qui Christum ipsum tentavit, & contra ipsum pugnare audet Apoc. 12. v. 11. seq. qui homines spiritualibus affligit vinculis 2 Tim. 2. v. 26. qui homines in tentationes trahit. 1 Cor. 7. v. 5. 1. Thess. 3. v. 5. Luc. 22. v. 31. Actor. 5. v. 3. qui seducit homines Apoc. 12. v. 9. c. 20. v. 3. 8. qui excæcat sensus infidelium 2 Corinth. 4. v. 4. qui circumit, quærens quem absorbeat 1 Petr. 5. v. 8. quem S. S. nominat Virus, Pestilentiam, Tyrannum, Lupum, Abaddon, Apollyon, destructorem &c.* hæc sane prædicata minime competunt hosti enervato & *absolute infirmo*, sed satis temerario; impudico & valido: *conf. Porstii Theologia Viatorum Practica Lib. 3. c. 26. §. 4. p. 1376. seq.* qui author etiam §. *4. 5.* de existentia diaboli solide disserit: scioli, itaque levis & carnali securitate corrupti animi signum est Diaboli vires in *dubium* vocare, aut ita *imbecillas* supponere, siquidem minime vicissim creduli, stupidi, superstitiosi & præjudicantis animi character est, illas Satanæ vires, ut pote potentes & eximias agnoscere,

 quod

quod posterius ex rationis lumine æque facile demonstrari poterit, hinc cum *B. Spenero sentimus* **in der Lauterkeit des Evangel. Christenth.** *Part. I. Domin. Reminisc. p. 458. b.* albernen und in geistlichen thörichten kommt zu, daß sie von Teufel nichts wissen wollen, oder nicht an ihn gedencken, dadurch sie ihm so vielmehr Vortheil über sich geben: *& Domin. Oculi p. 509.* Je grösser wir des Teufels Gewalt machen, nimts göttlicher Gewalt so gar nichts, daß es vielmehr diese erhöhet, weil sie über so mächtige Geister sich erstrecket und ihre Macht augenblicklich zernichten kan, sie auch alle Augenblick, was sie haben, von ihm haben. & **in Lebens Pflichten** dicit: *Tom. I. p. 350.* Wer den Teuffel verachtet als einen ohnmächtigen Geist, wird desto leichter von ihm gefället: cujus singularem & validam energiam ipse etiam testatur **in der Glaubens-Lehr** *Tom. I. p. 306.* hæc uti genericam Diaboli potestatem concernunt, ita neque *boni*, neque *mali* angeli, neque *ulla* creatura suas vires *ex se*, sed *a Deo* habent: proinde Diabolus *generatim* vires suas *operatrices* a Deo habet, cujus *permissu* ipse suas technas exercet, unde minime *absolutam* habet potestatem; *naturales* & abstracto sensu accipiendas vires ipse *a Deo* possidet, *applicationes* vero harum virium ad *mala* opera *minime* a Deo, sed unice a *deperdita* Diaboli natura & indole proveniunt: quare iterum quoad hanc meditationem *B. Spenero* nos conformes declaramus, quando ipse loco, modo citato, **in der Lauterk.** *p. 460. b.* ita judicat: Zu diesen ihren natürlichen Kräfften komt nu, und muß auch kommen, GOttes Zulassung; wie dann auch ohne dieselbe von den bösen Geistern nichts geschehen kan, wie Matth. 8. v. 31. zu ersehen, so ist auch GOttes Mitwürckung und Regierung, bey der bösen Geister Würckungen, wie bey Würckungen aller Creaturen, jedoch daß er zu den bösen in ihren Wercken nicht mit würcket, wie dergleichen auch in den bösen Wercken der Menschen beobachtet werden muß: hinc Deus in *tentationibus* Satanicis suum *regimen*, ac *protectorium*, tam *permissione*, quam

quam *moderatione* ac directione, ut in *optimum* cedant finem, testatur *conf. Spener. l. c. p. 483. 486.* huc quadrat quod *Paracelsus tr. de ver. infl. rer.* disserit: *licet Diabolus quidem plurima machinetur, hoc tamen cum omnibus legionibus præstare minime potest, ut vel abjectam ollam frangat, nedum eandem faciat: multo is minus quenquam occidere, aut jugulare potest, nisi id mandato, permissu jussuque ac vi divina faciat:* huc porro spectant verba *B. Speneri*, bene intelligenda **im Anhang der Glaubens-Lehr** *p. 240.* GOtt muß mit würcken in allen Sünden der Menschen, zu Verrichtung des Wercks an und vor sich selbst, wie dann kein Dieb, Mörder, Ehebrecher und dergleichen seine Sünde begehen könnte, wann nicht GOtt mit würckete, d. i. seinen Gliedern Leben, Krafft und Bewegung gebe, ohne daß darum GOtt an der Sünde selbst schuldig wäre: Subjacet itaque diabolus *sua vi*, *divina* permissione, citra quam ne quidem ipse *ullum* jus in *suem* exercere potest, quare spiritus ille immundus rogavit Christum, ut permitteret ingredi in gregem porcorum Luc. 8. v. 32. Matth. 8. v. 31. Marc. 5. v. 12. 13. Quibus singulis considerationibus Diaboli potestatem brevi demonstratione explicare voluimus.

§. IV.

Dum adhuc in tituli illustratione occupati sumus, ita proxima excipit illa consideratio, ut *generice* indicemus, quid de *actione* & *potestate* Diaboli in *Corpus humanum* intelligamus: Varii in hac disquisitione perpendendi erunt respectus; *primo* quatenus Diabolus in corpus humanum *immediatam* habet vim: *secundo* quomodo *mediate*, partim per *materialia* subsidia, partim per *immateriale* subjectum in *corpus* operetur & *tertio* quod in corpus *vivum* æque ac *mortuum* malitiosa & perniciosa sua opera & artificia exercere & transferre queat, *quarto* quod ad *morbos* præcipue provocandos ipsius potestas admodum quadret & valeat, *quinto* quod eadem ejus potestas subtili concursu

mor-

morborum sanationes interdum impediat: *sexto* quod aliquando *specialis* diaboli vis in *morbis* ex *naturali* causa natis, *subtili* iterum modo se prodat, quæ a *generali* morborum origine discernenda est: Hos memoratos respectus brevi animadversione & dijudicatione in *generali* adhuc hujus thematis ventilatione dignos æstimamus, ut præsentis considerationis nervus magis pateat: Per *immediatam* diaboli potestatem intelligimus, illam hujus infernalis hostis activitatem, qua ipse *proxime* in humano corpore partibus quicquam immutat, vel in eodem quicquam *producendo* & struendo, vel partibus illis *perversum motus* specimen communicando, ut æque diabolus justo *Dei judicio* atque permissu omnia corporis membra *agitare* & horrendis *motuum* gradibus affligere queat: quare partim *materialem* corporis dispositionem, partim *motus* in & cum corpore perficiendos *alterare* potest & solet: deinde hic Cacodæmon certis *mediis* pro *perditissimo* & perniciosissimo suo arbitrio & *scopo* ad *corporis* alterationem uti omnino potest, & hæc vel *naturalia* sive materialia, vel *spiritualia* existunt: priora, videlicet *naturalia* varia subjecta e naturæ regno provenientia esse possunt: *acuti* enim etiam in *naturalibus* intellectus esse hunc perniciosum dæmonem minime dubitamus, ob id etiam dæmon quasi δαήμων nominatur, vid. *Masius in disp. de existentia dæmonis ex lumine rationis demonstrata, cap. 1.* quare illum consummatum Physicum nominat *Athan. Kircherus Mund. Subt. Sect. 2. c. 2. Scrutin. Pestis Sect. 1. c. 10. Helmontius tr. intell. adamicus.* cujus scientiam etiam testatur *B. Speverus* **in der Glaubens-Lehr** *p. 1000.* neque huc usque ullum solidum & fide dignum argumentum prolatum fuit, quod illius scientiam in naturalibus aut enervare, aut dubiam reddere possit; sicut vero *relatio* variorum naturalium subjectorum ad *corpus* humanum *vivum* & *mortuum* diversa est, ita Diabolus ex hac notitia hujus relationis cum materialibus & naturalibus mediis varios stupendos

dos & admirandos effectus provocare potest: interea tamen hic cacodæmon minime *supra naturæ* vires quicquam operari potest, quæ qualitas *soli summo Creatori* competit; attamen diabolus *mediantibus naturalibus* viribus suas technas, *extra* naturæ ordinem exercet *conf. B. Speneri* **Lauterkeit des Evangel. Christenth.** *Vol. I. Part. 2. Festo Trinit. p. 10. a. & Part. I. Domin. Oculi p. 510. b.* ubi dicit: Der Teufel hat allein solche Dinge gethan, die wohl dem Menschen ohnmöglich, darzu aber noch einige Krafft in der Natur, die der Teuffel auf eine, nicht uns, sondern ihm bekannte Art weiß zu appliciren: proinde hic coluber antiquus callidissimo & subtili modo *animam* hominis *pravis ideis* & nequissimis suis *suggestionibus* corrumpere potest, ob quas ipsa post hac in suum corpus tam *confusos* transfert motus, qui *ordini* naturæ plane non respondent; quemadmodum hic adversarius Dei in *corporali* obsessione *utroque* tali modo vel *immediata corporis* agitatione, vel *animæ* corruptione suas machinationes exequitur: sicut itaque impurum hoc dæmonium potestatem habet in *corpus* hominis animatum & adhuc *vita* præditum, ita perinde perditissimam suam vim in *corpus exanimatum* æque ac in *alias* naturales & *materiales* substantias permissu Dei derivare suaque glaucomata & fraudulenta artificia prodere potest, qualia multis speciminibus, fide etiam dignis, *Kornmannus* & *Garmannus* in suis *tract. de miraculis mortuorum* confirmant: quare illi in pertinaci scepticismo hærere nobis videntur, qui talia phænomena, in *cadaveribus* humanis obvia, *indiscriminatim nudis* naturalibus processibus & potentiis aut contingentiis adsignant & *diaboli concursum* atq; influxum abnegant, cum hæc *potestas diaboli in corpora* in dubium vocari ac negari haud possit; quemadmodum alias Satanas cum suis infernalibus præstigiis cadaveribus defunctorum abuti in mentem induxit, velut *corpore Samuelis 1. Sam. 28.* (quamvis non adseramus, quod illa apparitio verum corpus Samuelis

bolo tribuat, quæ cuicunque competunt, ne quidquam *honori* Dei, *ordini* naturæ & *malitiæ* diaboli derogetur; quare illa *levitas* in scrutiniis *medicis exprobatione* digna existit, qua infrunite & præcipiti pervicacia ac simplici credulitate *Veneficia dæmoniaca* declamantur, man sey beschryen, behext, bezaubert, & quæ hujus accusationis aliæ in ore hominum circumferuntur formulæ: Quo ordine atque loco non possumus non, quin paucis verbis de *insolitis corporis agitationibus*, quas *neoprophetæ*, ut sibi videntur, aut, ut sibi persuadent, *divino spiritu* atque lumine extraordinario modo accensi & *inspirati* experiuntur, disseramus (id quod jam in dissertatione *D. D. Præsidis de Mensium anomaliis convulsivis* monitum fuit,) quod male diaboli, proximo adscribantur influxui, minus vere vicissim *divino* tribuantur afflatui, cum *ejusmodi* motus corporis, cœteroquin satis ominosi, ex nudis naturalibus potentiis derivari & demonstrari queant, ut propterea ad *supra naturales* vires levi animo confugere, haud ulla urgeat necessitas: (e Theologis *conf. B. Spenerus* **letzte Theol. Bedencken** *Part. I. c. 1. Sect. 22. p. 118.*) *media* hæc est via, veritati magis consona, ut nullus *divini nominis abusus* aut profanatio committatur, neve perinde *adversum*, durum, infensum & culposum feratur judicium: Ex altera vero parte iterum apertus committitur *abusus*, quando Diabolo *nulla* potestas in *regnum naturæ* conceditur & subinde *morborum provocationes*, exacerbationes aut curationes in *nullo* casu *Satanæ* viribus admittuntur, sed sciola mente & petulanti theoria atque *speculatione* varia *opinionum* figmenta producuntur, quibus tales casus, qui diaboli *proximiori* adscribuntur potestati, colorari & *nudis* potentiis physicis imputari solent: ab *utraque* itaque parte error committitur, quando quidam in hac disquisitione vel *nimium creduli*, vel *nimium increduli* sunt, quare *non omnes* casus negandi aliisve *phantasiæ lusibus* explicandi,

candi, neque pro *fabula* habendi, viciſſim vero non *ſingulæ relationes* præcipiti judicio *diaboli* potentiæ adſcribendæ ſunt, ob id in hac indagatione prudentia opus eſt: *malus* enim hujus cacodæmonis dolus *Chriſtiana* continentia & circumſpectione explorari debet, nam callidus hic hoſtis *Philoſophicas* quasdam ſciolas ſpeculationes ita accæcat, ut talis *affectata* ſapientia potius *Patrocinium diaboli* in ſe ſuſcipiat & hujus infernalis hoſtis vires valde *extenuet:* quo loco adhuc notatu digna verba *B. Speneri* **in Theol. Bedencken** *Part. III. cap. 6. artic. 1. diſt. 3. Sect. 22. p. 420.* allegamus & commendamus: Es kennet der Tauſend-Künſtler die unterſchiedlichen Arten der Gemüther allzuwohl, als daß er alle auf einerley Weiſe angreifen ſolte, als womit er bey vielen würde vergebens ſeyn; weil er alſo weiß, daß einige ſind, die ſich, wo er etwas ſeiner Schwärtze ſehen läſſet, vor ihn ſo bald entſetzen und verwahren würden, ſo thut er bey ſolchen einen Licht-Mantel um, und betreugt ſie ſo viel leichter; daher die Geiſter ſo fleiſſig zu prüfen ſind, ob ſie aus GOtt ſeyn oder nicht: Weil aber ſolche Prüfung eine nicht ſo gar leichte Sache iſt und man ſich beyderſeits mit vermeſſenem Urtheil und Verdammung der Dinge die nicht recht verſtanden werden, und rechte göttliche Wahrheiten in den wahren Verſtand in ſich gefaßt, oder anderſeits in Annehmung einiger Irrthüme, gefährlich verſündigen mag, ſo achte ich, daß ſehr behutſam zu verfahren ſey: Nechſt hertzlichen Gebet zu GOTT, daß er uns ja verwahre, daß uns der Arge nicht antaſte, habe ich bishero vor mich und andere dieſen den ſicherſten Weg befunden, daß wir uns an keinen Menſchen, wie er auch Nahmen haben möchte, binden, ſondern glauben, das Wort GOttes ſey allein die Wahrheit, und müſſen wir uns auf daſelbe pur lauter allein verlaſſen, ſo gar, daß wir weder unſern eignen liebſten Predigern, noch andern etwas deswegen glauben, weil ſie es vorgeben, ſondern allein dabey bleiben, was uns GOttes Wort ſo deutlich vor Augen ſtellet, daß unſer Gewiſſen deſſen überzeuget iſt. *conf. Ejusd.* **letzte Theol. Bedencken** *Part. I. c. 1. Sect. 37.*

§. VI.

Poſteaquam hactenus hujus thematis titulum explicavimus, ordo nunc nos ducit ad ventilationem illius quæſtionis *an Diabolus poſſit agere aut operari in corpus?* quo loco *prævio* quodam diſcurſu illorum oblocutionem *vanam* & omni ſobria ratione deſtitutam agnoſcimus, qui

angelorum essentiam materialem supponunt, *diaboli* vero *energiam* aut potestatem in *corpora* acriter *negant*, cum tamen *materiæ actio in materiam* ferme à nullo philosopho aut dubia, aut impossibilis dijudicetur: illud vicissim argumentum plurimorum dubitantium mentem occupat, quod diabolus, ut pote mere *spirituale* adeoque incorporeum subjectum, in *materiam* nullam *influendi* vim habeat: hanc dubitationem antiquus ille error, quod ens *incorporeum* in subjectum *corporeum* nullum habeat vim, confirmare videtur, quemadmodum neotericorum physicorum & mechanicorum assertum de *communicatione motuum* non nisi per *materias* possibili eandem opinionem adjuvare solet: vulgo quidem caliginem mentibus offundit deficiens *conceptus* quomodo ens *immateriale*, adeoque sic dictum simplex, in *materiam* agere queat, ubi multi pro canone veritatis in hac disquisitione supponunt *crassum* quendam conceptum, quo deficiente, ipsam reliquam rem *in dubium* vocare minus erubescunt: à *contrario* enim facile in multis negotiis, effectibus & *phænomenis*, plane etiam *physicis*, ille *deficiens* conceptus *demonstrari* potest, ubi à *sobria* ratione subsumendi & *concludendi* alienissimum est, à defectu notitiæ *modi fiendi* ad defectum veritatis & *existentiæ in re* ipsa argumentari velle: quare *nunquam* probatum est, quod Diabolus *propterea* in corpus operari nequeat, quia *Spiritus* est, siquidem *præsumpta* illa probatio, quasi inter incorporeum & corporeum *nullum* detur commercium, aut nulla *relatio activitatis* & patibilitatis, *petitionem principii* satis crassam satisque luculentam olet: *actio* enim subjectorum inter se invicem non semper *crasso* procedit *contactu*, quemadmodum *alteratio* functionum ad œconomiam *vitalem* pertinentium per subtilem *imaginationem* aut intensiorem occupationem *moralem* provocata, nullo unquam *crasso* tali nititur *influxu*; quare ita subsumere placet, Spiritus *essen-*

essentia sunt *immateriales*, Spirituum *essentialis proprietas* est, quod non modo in genere *movere* & agere, sed *rationaliter* operari queant, *motus* vero sua *essentia* perinde sunt *incorporei*, qui motus in *universo* regno naturæ non ratione essentiæ, sed influentiæ, cum *materia* conveniunt, quare *spiritus* per facultatem suam *motricem* cum *corporibus* communicare possunt: porro concludimus, *nullum* corpus se movet *propria* vi motrice, quia nulla materia est *activa*, sed quia *omne* corpus est passivum, propterea omne corpus movetur *aliunde*, *prima* vero *communicatio* motus in materiam non contingit à *materia*, quia motus materiæ non est *proprius*, ergo prima motus *emanatio* & derivatio in materiam succedit à causa & principio *immateriali*, quale est *Spiritus*: unde ex pura *necessitate consequentiæ* fluit, Spiritus absolutam & *essentialem* esse facultatem, quod *corpus movere* possit & debeat, quia alias *nunquam* moverentur corpora, si hæc qualitas spiritibus denegaretur: neque tantum Spiritus in *subtilem*, sed etiam in *crassam* materiam operari potest: qui enim *relationem* & efficaciam *motus* in & ad *materiam* intelligit, is facile etiam perspicit, quod debilior & *minor* gradus motus a *tenero* puero exercitus, rite *concentratus*, æque facile corpus *plurium* centenariorum agitare & afficere possit, ac validior & *non concentratus* motus; id quod ex multis speciminibus & experimentis mechanicis demonstrare licet: unde illud inferimus, quod *subtilior* emanatio motus è *spirituali* causa movente non habeat *absolutam necessitatem* & relationem ad *subtile* corpus, sed quod æque facile *crassa* contingere possit corpora: eo magis proinde ille se irretiunt, qui *incorporeis* subjectis concedunt activitatem & influxum *motricem* in corpora *tenuia*, cum iterum magis & minus non variet speciem & essentiam: inde etiam ita concludere licet, si principium *immateriale* operari potest in subjectum *materiale*, tunc nulla obstat ratio, quin illud principium in hoc

subje-

ſubjectum ſive *minus* ſive *magis* materiale agere queat: ex *differentia* enim *eſſentiæ* inter ſpiritum & materiam, nulla ſequitur neceſſitas *concluſionis*, quod propterea hæc ſubjecta convenire *nequeant:* quanta enim abhinc ſequatur confuſio, ſi hoc aſſertum veritati conſonum eſſet, Deum creaſſe ſubjecta aut entia immaterialia ſive *ſpiritualia* & *materialia* ſive corporea, haud vero ordinaſſe, diſpoſuiſſe & conceſſiſſe, quod *utraque communicent!* quare rectius ex hoc falſo aſſerto ſequeretur, quod *motus* non habeat jus in *materiam*, quia motus *non eſt* materia &c. &c. Quid quod illud ſanæ *rationi* magis conforme eſt theorema, quia *vires* ſpirituum, *corporeo* domicilio & ergaſtulo ordinario deſtitutorum *potentiores* ſunt, ergo *tanto magis* corpora motibus illi afficere & dirigere poſſunt, quoniam illorum vires ſunt *ſimpliciores* & *concentratiores:* quemadmodum rectius omnipotens & Benigniſſimus Creator creaturas *ſpirituales* & *materiales* ſibi invicem *ſubordinavit*, adeo ut angeli *mandata* & *judicia* DEI in hoc *viſibili* mundo exercere & exequi, *debeant* & in *miniſterium* hominum emiſſi ſint; quare *potectorium*, directorium & *tutela bonorum* angelorum, *plagæ* vero & pœnæ a *malis* angelis præſtitæ ſufficienter *activitatem Spirituum in corpora* probant; alias neque *boni* neque *mali* angeli ſua *naturali* vi *poteſtatem* haberent in *creaturas corporeas* & falſum inde iterum ſequeretur adſertum, quod *angelorum actiones in corpora*, S. codice probatæ, miraculoſa & plane extraordinario modo contigerint, cum viciſſim verius adſtruamus, quod ad *naturalem* ſic dictam aut eſſentialem *ſpirituum* facultatem referri mereatur *vis* illorum *motrix* in *corpora*.

§. VII.

Brevibus modo demonſtravimus, quod Spiritus *poſſit*, imo *debeat* interdum operari in *corpus*, quare ulteriori probatione hoc adſertum vix indiget; argumentamur

mur vero subinde per inductionem & ab *exemplis* & *infallibilibus* speciminibus *activitatem τȣ̃ incorporei* in *τὸ corporeum* demonstrabimus: quod Angeli boni *corpora assumserint*, S.S. abunde confirmat (ad qualem apparitionem *Paulus Ebr. XIII. v. 2.* provocat); siquidem interdum in corporibus *clarificatis*, aliquando in *aliis* apparuerunt: quod Angeli cum corporeis subjectis commercium habeant & corpora assumant, fusius ex sobria Theosophia proposuit *B. Spenerus* **in der Lauterkeit des Evangelischen Christenthums** *Part. I. Vol. 1. p. 418 - 420. qui B. Author p. 505. 506.* subinde confirmat, quod Diabolus *naturale* corpus induere queat: *conf. D. D. Præsidis Physica cap. I. §. 37. seq.* & quamvis Cacodæmon non *perfectum* humanum corpus formet, ut in præcedentibus monuimus, siquidem *eo usque* ejus vis & potestas *non valet*, tamen *corporeum* tale *simulacrum* fabricat, per quod suas technas & fraudes ludere potest; vid. *Spener l. c. p. 506.* & quemadmodum *boni* Angeli in humana figura apparuerunt, ita interdum apparitiones a *malis* Angelis provenerunt, quamvis omnes historiæ, quæ de talibus apparitionibus recensentur & circumferuntur, veritati *non promiscue* respondeant, *vid. Spener* **Theol. Bedenck.** *Part. II. p. 591.* (id quod alia occasione D. v. *D. D. Præs. diss. de Spectris* proponet;) conferantur illa, quæ B. Author profert **in der Glaubens-Lehr** *p. 343. Vol. I.* quod Diabolus corpus *humano simile* assumat: porro etiam Angeli in *alia* corpora suam operationem exercuerunt; qui itaque dubitant, quod Diabolus Christum Salvatorem corporaliter per aërem portaverit & ipsum in pinnulam templi statuerit, (quod tamen nos cum *B. Spenero* **in der Glaubens-Lehr** *p. 306. Vol. 1.* & **in Theol. Bedencken** *Part. IV. cap. 7. art. 6. p. 705.* affirmamus,) illi attendant, quod Angeli boni alios homines per aërem portaverint *conf. Ezech. 8. v. 3.* emisit *vero speciem manus & accepit me in cincinno capitis mei, sustulitque me spiritus inter terram & cœlum abduxitque me Hierosoly-*

mam in visionibus DEI &c. & *cap. 3. v. 14. cum ergo sustulit me & accepit me spiritus.* & *Lib. Bel & Draco v. 36.* tum *apprehendit angelus Domini verticem ejus & portans coma capitis ejus transposuit eum in Babylonem supra locum in raptu Spiritus ejus Actor. 8. v. 39. abripuit angelus Domini Philippum & Philippus inventus in Azoto:* eodem motu spirituali Eliæ prophetæ corvi attulerunt panem & carnem *1 Reg. 17. v. 6.* quod ministerium seorsim angelus huic prophetæ præstitit. *1 Reg. 19. v. 5. 7.* similiter Diabolus in processu primorum parentum hanc activitatem in corpus exercuit, dum obsessione sua *serpente* usus fuerat, mediante hoc loquelam ab Eva perceptibilem præstitit, insuperque Evæ sermonem responsorium iterum advertit, quippe quæ circumstantiæ evidentes *corporeas* qualitates complectuntur: ita præstigiatores Pharaonis per incantationes *Exod. 7. v. 11.* (non per nudas vires naturales) machinationes suas præstiterunt, de quibus *B. Spenerus* dicit **in Evangel. Lauterkeit** *domin. Reminisc. p. 462. a.* diß geschahe durch die Krafft eines Geistes, dem sie zu Hülffe nehmen müssen, und kein anderer als ein böser Geist in dem er den Werck GOttes zu wieder war, kan gewesen seyn: so muß derselbe über Cörper einige Gewalt haben, dann es waren ja Wercke von leiblicher Bewegung: sic Heroden *Act. 12. v. 23.* percussit Angelus Domini, unde a vermibus rosus expiravit: præterea *Psalmo 78. v. 50.* extat: *misit in eos excandescentiam iræ suæ indignationem & furorem & angustiam immissionem angelorum malorum, direxit viam iræ suæ, non prohibuit a morte animam eorum & vitam eorum pesti conclusit:* in quo loco quidam secundum originalem textum die Aussendung der bösen Engel sive diaboli intelligunt, alii per hos malos angelos Mosem & Aaronem intelligi volunt, qui Pharaoni has denunciaverant plagas, qui propterea mali nuncii & angeli, aut nuncii malorum & plagarum fuerunt: interea constat, quod per angelum primogeniti

geniti Ægyptiorum interfecti fuerint *Exod. 12.* porro *1 Cor. 5. v. 5.* Paulus scortatorem tradidit Satanæ in perditionem τῆς σαρκὸς, ut πνεῦμα conservaretur: *conf. Spener* Theol. Bedencken *Part. IV. cap. 7. art. 6. p. 705.* huc etiam illos colaphos referimus, quos ab angelo Satanæ utpote stimulam carnis excepit Paulus *2 Cor. 12. v. 7.* quos pro materiali læsione corporis agnoscimus, donec probetur contrarium: ita angelus percussit populum peste *1 Chron. 22. v. 15. 16. 27. 2 Sam. 24. v. 16.* sic Angelus Jehovæ percussit in castris Assyriorum centum, octoginta & quinque millia virorum: *2 Reg. 19. v. 35. Es. 37. v. 36.* porro *extenderunt Angeli manum suam & introduxerunt Lotum ad se in domum, januam autem clauserunt. Gen. 19. v. 10. & v. 16.* cum *autem Lot moraretur apprehenderunt viri manus ejus - - eduxeruntque eum foris ante urbem*, & *Daniel* dixit *c. 6. v. 23. Deus meus misit angelum suum & clausit os Leonum:* porro angelus *flammam* detinuit, ne combureret viros in fornace ignis ardentis *Dan. 3.* præterea angelus avolvit lapidem ab ostio sepulchri. *Matth. 28. v. 2.* Angelus liberavit Petrum a vinculis & aperuit januas & portas carceris *Actor. 5. v. 19. cap. 12. v. 10.* de hoc Angelo *vid. Lightfootus hor. ebr. in Act. Apost. ad cap. XII. 15. B. Gerhardus ad eund. locum, Buddeus Theol. dogm. Lib. 2. c. 2. p. 410.* sic angelus lacum Bethesdam commovit *Joh. 5. v. 3.* & *Apoc. 14. v. 18. exivit angelus habens potestatem super ignem;* non minus angeli *2. Maccab. 3.* percusserunt plagis Helidorum cum spolium templi intenderet. Et quantam non potentiam diabolus in varia exercuit corpora! quæ fusius in Historia Jobi proponitur, quam propterea neque negare, neque aliter interpretari convenit, si prædicta testimonia veritati exacte respondent: si itaque angeli *boni* & *mali* in *corpora* operari possunt, si ex *concessione* Dei in *corpus humanum* suam exercuerunt potestatem, cur illis denegare volumus potestatem in *alia* corpora naturalia: etenim inter creaturas *præstantissimum* subjectum est

 homo,

homo, hinc diabolus in regno naturæ ex eadem *divina* permiſſione varias perniciosſas excitare poteſt tempeſtates atque ſtrages *conf. B.Spenerus* **Lauterkeit des Evangel. Chriſtenthum** *Part. I. Vol. 1. p. 297.* **Lebens-Pflichten** *Tom. I. p. 225.* propterea minime pro ſuperſtitione, fatua ſimplicitate, ſtupida credulitate, fœda fabula &c. illud æſtimamus judicium, quod diabolus multos *perniciosſos* effectus in & cum *aëre*, in & per *ignem*, mediante etiam *aqua* & *terra* perficere queat; quemadmodum veritas hujus ſententiæ ex *præcedentibus* dogmatibus, maxime quidem cardinalis illius theſeos & argumenti, quod Diabolus in *corpora* agere poſſit, valore & fundamento facile eluceſcit, *conf. B. Sturmius de tempeſtatibus Magicis, Garmannus mirac. mort. lib. 2. tit. 10. v. 133. Müller de Magis tempeſtates cientibus.*

§. VIII.

Quod Diabolus, non obſtante *ſpirituali* ſua eſſentia, in *corpora* agere poſſit, hactenus *rationibus*, *exemplis* & *ſuffragiis* demonſtratum fuit, quam probationem adhuc illo duplici, uno *pnevmatico*, altero vero *phyſico* argumento & exemplo roborare lubet: *prius* quod attinet, tunc de *anima humana*, quam *eſſentialiter* ſpiritualem, *immaterialemque* agnoſcimus, conſtat, quod *corpus* ſuum, tam quoad ſua *prima* fundamenta, ſatis tenera atque *ſubtilia*, quam quoad *integram* ſuam compagem *motibus* congruis inſtruat, ideoque ordine ſibi præſcripto naturali *corpus* conveniens *formet*, convenienter *confirmet* & legitime *applicet* atque *defendat*: jam vero diaboli vires, *abſtractive* conſideratas, *præpollentiores* eſſe, iterato adſerto indicamus, quare in *intellectu* illius qualitates, animæ *humanæ* vires naturales *ſuperant*; ſi itaque in *principaliori* facultate hæc præpollentia diaboli conſtat, quidni in *minori* energia eadem in *theſi certa*, in *hypotheſi* vero *indubia* fuerit, quod videlicet *ſpiritualitas* & *lapſus* diaboli non tollat hujus poteſtatem

tem singularem atque callidam in corpora, quam tamen in relatione ad suas vires ante suum lapsum *Augustinus de Civit. Dei Lib. XI. c. 1. egenam* nominat *protestatem:* at enim vero in hac meditatione huic exceptioni locus patet, quod per divinum *mandatum*, per *ordinem* a DEO institutum, commercium inter *animam* & *corpus* sit erectum, stabilitum & confirmatum, ut ita ab energia *animæ* humanæ ad potestatem *diaboli* non valeat consequentia; sed huic dubio denuo obviam ire licebit, *primo* quod disquisitio *potestatis* alicujus *spiritus* in *corpora*, in *genere* consideratæ, non discrepet, sed quod hæc communio idiomatum sit *æqualis*, dum quæstio illa ventilanda occurrit, an *immateriale* possit operari in *materiale: secundo* quod ab hac argumentatione, quia per *voluntatem* & ordinationem DEI *anima* movet *corpus*, *non valeat consequentia* exclusiva, quod *propterea* diabolus non possit actuare corpus, qui a DEO primum tanquam *simplex* spiritus creatus fuit: enim vero almus Creator Angelos creavit, utpote Ministros, quorum servitio secundum beneplacitum suum uti queat inter creaturas, ut subinde implicite commercium *Angelorum* cum *visibilibus* & *corporeis* creaturis intellectui pateat: neque *tertio* illa locum invenit conclusio, quia diabolus non *ordinarie* in corpora operatur, ita illius vis in corpora est *nulla*, quoniam adhuc *extraordinarius* accessus ipsi patet in *materias* agendi: multo minus *quarto* quicquam probat, quod ob defectum *luculenti* testimonii divini, quo diaboli vis in corpora demonstrari possit, etiam ipsa illa energia *nulla* sit, siquidem non omnia testimonia esse possunt aut debent *directa*, clara & explicita, sed etiam *implicita*, indirecta & ex *variis respectuum conciliationibus* provenientia & derivanda: *Alterum* argumentum & simul exemplum omnium sensui obvium patet in scrutinio *Motus*, hujusque influxus atque *communionis* cum *materia:* Supra enim modo indicatum & a *D. D.*

 Præ-

Præside in sua *Physica* fusius demonstratum fuit, quod *Motus non sit materia*, quodve non sit *propago* materiæ, sed quod sub reliqua sua realitate *spiritualis* sit prosapiæ, propterea que ratione *primæ* suæ originis a *spiritu* proveniat & tamen cum *materia* facile, cito & *exquisite* conveniat; inde colligimus: si ens *inferius* nimirum motus cum *materia* congreditur, quidni id præstiterit *idea superior*, videlicet *causa motus:* hanc meditationem majori jure ad Diaboli *influxum activum in corpora* applicare possumus, quia neque in lumine *revelationis*, neque lumine *rationis* contrarium demonstrari potest: illud vero iterata propositione & declaratione indicamus, quod stante hujus infernalis hostis *activitate* in corpora, minime adseramus, diabolum corpora è *nihilo* producere, aut vera & *perfecta* corpora naturalia, velut corpus humanum, metallum &c. *exacte* formare, sed vel suis technis talia corpora *æmulari*, vel *aliunde* vera talia corpora transferre, advehere & *subtili* modo, methodo etiam callidissima, suo intellectui consueta & conformi, *communicare;* quare hic dæmon ex *Divina* concessione vel *vera* corpora naturalia ad *suas* illusiones adhibere, vel *glaucoma* tale & *æmulum* quoddam phasma producere, vel etiam hominum *sensus* ita *corrumpere* potest, ut sibi talia vidisse *persuadeant*, quæ tamen *non vera* & realia illa sunt subjecta, sed *fraudulenta* diaboli machinamenta & ludibria, siquidem ex varia corporum *commixtione* & situatione, varios *colores*, diversas *figuras* & discrepantes *magnitudines* repræsentare potest, quæ *illusionibus* illis dolosis Satanicis debentur: denique illam quoad *subjecta* discrepantem diaboli energiam adhuc proferre voluimus, quod hic perniciosus hostis *obsessione corporali* hominibus truculentos intulerit *cruciatus*, quod permissu Christi totam *Suum* gregem in abyssum *aquæ* conjecerit, quod etiam *ignem* ex *aëre* eructaverit, *ventum* & procellam excitaverit, *ædificia* corruerit,

erit, adeoque variis speciminibus suam potestatem in *homines, bruta* & *elementa*, vulgari nomine ita notata, probaverit: quando etiam nonnulli argumentationem à posse ad esse justa animadversione suspectam æstimant & sub hoc titulo diabolo quidem hanc *potentiam* concedunt, tamen duplici modo excipiunt, *primo* quod *factum* deficiat & proinde historiæ hujus thematis ob diversos respectus ominosæ & *præjudiciosæ* sint, deinde quod DEUS hanc diabolo potestatem semper coerceat & impediat: ast ad utramque dubitationem varia reponi possent, quæ passim hactenus proposita sunt, dum singula facta *indiscriminatim* negari non possunt, nisi pertinaci animo semel assumpto præjudicio patrocinari quisquam lubeat, deinde quod omnino DEUS Diabolo aliqua in hac potestate permittat, tam ad tentandum, quam dehortatione probandum & præservandum homines *conf. B. Spenerus* **Lebens Pflichten** *Vol. II. p. 648.*

§. IX.

Nunc propius eo nobis transeundum erit, ut significemus *quotuplici vice* ac *modo* pro nostri conceptus modulo Diabolus corpus humanum affligere queat: id ipsum itaque *triplici* generali modo fieri potest, *primo* dum ipsam *naturam* sive *animam hominis corrumpit*, perturbat, eidemque *perversas ideas* & *phantasias* communicat, secundum quas ipsa dein *confusos* tales motus in corpore exercet: etenim diabolus, tanquam *spiritus*, spirituales suas callidissimas insidias facilius *animæ* struere potest: & licet neque boni, neque mali angeli *immediate* animæ *cognitiones* & intentiones *percipere* & penetrare possent *conf. Speneri* **Glaubens-Lehr** *p. 345. 1219. & ibid.* **in Anhang** *p. 61.* **Lauterkeit des Evangel. Christenthum** *Part. I. vol. 1. p. 508.* tamen *ejusmodi* spiritus *singulare* habent commercium cum *hominum* animabus *vid. Spenerus* **in der Lauterk.** *&c. l. c. p. 463. 466. 467. 375.* unde *ideas* animæ communicant,

cant, qualis *interna* est loquela talium spirituum cum anima: *conf. Speneri* **Lauterk.** *l. c. p. 418.* **Glaubens-Lehr.** *Vol. I. p. 310. Buddeus Theol. Dogm. Lib. 2. cap. 2. §. 23. p. 399. §. 24. 27.* (*angeli* enim & *animæ beatorum*, *antequam* hæ cum corpore sunt unitæ, *immediate* sibi ideas communicant *Speneri* **Lauterkeit.** *Part. I. Vol. I. p. 417. 418.* hinc mali angeli *spirituali* fruuntur communione *ibid. pag. 465.* hæc enim communicatio idearum competit spiritibus: interim angelorum minime tanta est potestas, ut *animi sensa* hominum *immediate* perspicere queant, *solus* enim *DEUS* est καρδιογνώστης: attamen spiritibus, *corporeo* domicilio destitutis, ad suam *socialitatem* concessa est talis *immediata* perceptio & communicatio idearum: ob id in diaboli potestate est, animæ *hominis* certas *scientias* communicare etiam *spirituali* conversandi modo, qui actus vero minime *illuminatio* vocari potest, quia Diabolus est princeps *tenebrarum*, luminis expers, unde *B. Spenerus* **in Theologischen Bedencken** *Part. 3. cap. 6. art. 1. dist. 3. sect. 34. p. 470. 471.* id appellat *ignem fatuum*, haud vero lumen: *conf. Buddeus loc. c. §. 26. p. 402. §. 36. p. 417.* proinde versutus ille hostis *diversis* utitur *mediis* in hominis animam & cogitationes operandi, dum vel *ordinarias* functiones *vitales*, cum *moralibus* consentientes, acute & callide advertit, explorat, connectit & subinde secundum illas illusiones & suggestiones suas instituit, hinc *B. Spenerus* **in der Glaubens-Lehr** *Vol. I. p. 308.* **und im Anhang** *p. 68.* dicit: Der Satan kan tieff bey uns einsehen, als ein subtiler Geist und alter Physicus, der auf alle Bewegungen des Gemüths an den Bewegungen des Geblüts innerlich genau achtung geben und daraus was in der Seele sey, abnehmen kan, so viel listiger kan er seine Angriffe bey uns anstellen: quare etiam Satanas hominum *temperamentis* pro pernicioso suo scopo utitur *vid. Speneri* **Lauterk.** *Part. II. p. 430.* præcipue vero cum *melancholicis* humoribus & affectibus facile

le suum commercium habet, id quod *Conringius disp. de incantationis efficacia circa morbos*, *Behrns in Pneumatologia Medica*, *Cardanus contradict. Lib. 2. Rejes. Camp. Elys. juc. qv. 27. 28. Codronchus lib. 3. de Venef. Petr. Tholosanus in Syntagm. jur. univ. lib. 34. Spenerus* **Theol. Bedenck.** *Part. 2. p. 775. Pfeifferi antimelancholicus*, *Musæi tr.* **Heilsamer Rath wider den Melancholischen Teuffel**, *Detharding de obsessione spuria. A. N. C. Cent. 9. obs. 29.* confirmant; quando vero *phantasiæ corruptæ* melancholicæ evidentius a causis *corpus* concernentibus naturalibus consuetis proveniunt, tunc minime præcipitanter, superstitiose & ludicre *dæmoniacas* vires accusare debemus, *conf. Spener. l. c. p. 776.* ut ut sæpe melancholici sibi persuadent, quod a dæmone sint obsessi *vid. Rod. a Castro Medico Politico Lib. 3. cap. 13. & D. D. Præsidis Jurisprud. Medica Part. II. casus 21. p. 206. seq. Rejes. qv. 28. n. 10.* Quemadmodum enim Diabolus utpote *activus* & *potens* spiritus hominum *sensus* corrumpere potest, er blendet der Ungläubigen Sinn 2. *Corinth. 4. v. 4.* subinde etiam *pravas cogitationes* teste S. Codice animæ inspersit, velut Davidi indidit propositum contra nutum Dei populum numerandi 1. *Chron.* 22. *v.* 1. 2 *Sam.* 24. *v.* 1. (quod vero per diabolum hunc non mali homines secundum *Beckeri mundum fascinatum Lib. 2. c. 22.* neque consiliarius pravus sec. *Johan. Clericum* intelligi debeant, explicavit *Buddeus in hist. Eccles. Vet. Test. Tom. II. ad per. II. Sect. 3. §. 19. p. 202. conf. ejusd. Theol. dogmat. l. c. p. 419.*) Regi Ahab insinuavit mendacia, ad illum seducendum 1 *Reg. 22. v. 22.* ita 2 *Chron.* 18. *v.* 21. erat diabolus spiritus mendacii in ore prophetarum: Judæ Ischarioth inspiravit propositum, ut Dominum proderet *Joh.* 13. *v.* 2. ita etiam Diabolus *animam* in *aliis* negotiis & occupationibus *corpus* humanum & œconomiam *vitæ* ac *sanitatis* concernentibus *corrumpere* potest, ut subinde malitiam suam *proxime* in *animam* exerceat, quæ ipsa dehinc suum corpus misere affligit atque cruciat:

 ciat:

ciat: id quod tanto facilius contingere poteſt, quo magis alias illa hominis natura ad varios *errores* proclivis eſt, quo magis illa errores *morum* & *patheticos vitalibus* motibus communicat, quo magis proinde vel ſimplices erronei motus *miros* provocant effectus, ut propterea omni circumſpectione opus ſit, ne *corruptos* tales motus, ex *ſimplici* cauſa naturali provenientes, *ſupranaturali* alicui influxui & directioni adſcribamus: interim etiam in variis intricatis morbis ſubtilis illa *energia dæmoniaca* concurrit, de qua dicit *B. Spenerus*, vielleicht iſt in vielen Kranckheiten, daß böſe Geiſter das ihrige auch dabey haben, daß wir nicht allemahl verſtehen, wovon viele ſeltſame Zufälle herkommen. **Glaubens Lehr Anhang** *p.* 69. **Lauterk.** *Part. I. p.* 520. ob id dantur *morbi animi*, tali vi *dæmoniaca* provocati: quare *Borellus Cent.* 2. *obſ.* 22. *Faſcinum ad inſaniam*, & *Cent. I. obſ.* 91. cum *Cæſalpino de dæm. inveſt. c.* 10. *Faſcinum ad odium* allegat: qui poſterior etiam de *magia amatoria* egit & hi ipſi morbi qui a tali *corruptione animæ* per *immediatam* activitatem diaboli provocati oriuntur, maxime ſunt *implicati*, perverſi & contumaces, ſiquidem alias in foro medico morbi *archeales*, *ideales*, in *motuum* vitiis conſiſtentes, curatu ſunt *difficillimi*: tales afflictiones itaque crudeliſſimis *ſpaſmis* & *convulſionibus*, horrendis ſpeciminibus & effectibus conſpicuis, ſe produnt, in quibus non modo eminentes alterationes & *cruciatus* in *corpore* obvii fiunt, ſed & in *animo* horridi *ejulatus*, aliquando *blaſphemiæ*, æmulationes *vaticiniorum*, prædictiones de abſentibus, manifeſtationes factorum occultorum ab aliis commiſſorum, linguarum exoticarum inſolitæ enunciationes &c. annotantur, quas tamen circumſtantias prudens medicus æque attente ſcrutari & conciliare debet, annon illæ *quandoque* nude *naturalibus* nitantur cauſis. Et quemadmodum Diabolus *immediate* naturam hominis, indicata ratione, *corrumpere* poteſt & ſolet, ita aliquando *media-*

te animum turbat & pervertit, velut per *insomnia*, quæ propterea *diabolica* vocantur, (de quibus inter medicos egit *Rejes qv.* 37. *p.* 449. 458. è Theologis probatis *vid. Speneri* **Lauterk. des Ev. Christenth.** *Part. I. Vol. I. p.* 216. *b.*) ut & per varias *terrificas* illusiones, *apparitiones, spectra* & quæcunque alia glaucomata Satanæ quæ in *sensus* graviter incidunt & horridam *mentis* commotionem causantur, unde maxime intricati, *confusi* & pertinaces oriuntur affectus morbosi, *corpus* misere torquentes: quales visiones terribiles describuntur *Sap.* 17. *v.* 3. 4. *existimantes enim se latere in occultis criminibus, obscuro oblivionis velamento dispersi sunt, expavescentes graviter & simulacris perturbati; neque enim quæ continebat eos, spelunca sine timore conservavit, soni vero perturbantes eos circumstrepebant & phasmata tristia flebilibus faciebus apparebant:* exinde liquet, quam *vario* modo *animam* hominis diabolus pervertere & *per eandem* gravissima *corporis* tormenta *morbosa* provocare possit.

§. X.

Ex præmissis itaque facile inclarescit, quod Diabolus *animi* & *corporis* morbos hoc modo provocare possit, quando primum ipsam *animam* turbat, inde varia *deliriorum* specimina, ut & aliquando *intellectus* enervationes & confusiones ortum trahere possunt, quæ corruptiones proxime etiam *corpus* in consensum trahere solent; neque æque necesse est, ut nequissimus ille artifex hanc fraudem & perniciem cum instrumentis & subsidiis *naturalibus* exerceat, quoniam ipsius potestas, *spiritualiter* operandi in animam, hactenus comprobata fuit, æque ac homo homini sine mediis crasse *materialibus*, sed verbis gestibus &c. noxam parere potest, ut alter offensus in pertinacissimum *corporis morbum* abhinc delabatur, ita similiter diabolus in homine varios *affectus* & *illecebras* provocare potest, ut dehinc homo in gravem *animi* & *corporis* ægritudinem concidat: siquidem neque a *ratione*

 ne

ne, neque etiam ab *observatione* abludit, quod diabolus *pravum* & immoderatum *amoris* affectum excitare queat, *vid. Rejes. qu. 29. p. 357.* sic in homine diabolus immoderatum *gaudium*, *timorem*, *terrorem*, *mœrorem*, *desiderium*, affectum *iracundum*, *voluptuosum* &c. excitare & per hunc præsentanee *corpus* alterare potest, quippe quam considerationem ulteriori meditationi & illustrationi commendamus: Si itaque diabolus in *principaliores animæ* operationes *potestatem* suam exercere potest, secundum præmissas demonstrationes, quidni ipse in *minus principales* operari poterit: ob id etiam in functiones *naturales* æque suam energiam & synergiam exercere potest, velut in *somnum* & *vigilias*, *appetitum* &c. quare per vim diaboli *extra* naturalem ordinem homines vigilias agere possunt, sicut *Bodinus in sua dæmonomania* talium vigiliarum mentionem facit: vicissim *somnum dæmoniacum* allegant *Petr. Binsfeld de confess. malef. p. 1. concl. 5. Remigius Dæmonol. lib. 2. c. 3. Delrio lib. 2. qu. 21. & lib. 3. disqu. mag. Part. 1. qv. 2. Schottus Phys. curios. lib. 1. c. 30. §. 1. Jordanus de divino in morbis cap. 43.* porro *inediam dæmonicam* describit *Rejes qu. 58. p. 731.* quo loco inserere placet, quod somnus ille, in quem *tormentis judicialibus* exerciti & afflicti incidunt, *non semper* a dæmone provocatus censendus sit: & si carnifices sub *tortura* inquirunt, an non ejusmodi personæ quicquam suspectum *absconditum* in *capillis* capitis gestent, frustra aliquando tunc instituunt inquisitionem, quoniam *vehementia* dolorum interdum homines adeo enormiter *obstupefacere* potest, ut impotes animi & *sensationis* in talem *suspectum* incidant *somnum*, siquidem alias illa formula exclamandi percipitur, man habe sich vor Schmertzen nicht besinnen können: propterea tamen iterum negari haud potest, quin aliquo soporifero aut *stupefaciente* medio, sive *nude naturali*, sive *dæmonis* subsidio comparato, ejusmodi somnus *sub tortura* suspectus excitari, queat, sicut

cut de tali remedio sub tortura suspecto agitur in *A. N. C. dec. 2. an. 8. obs. 38.* Ad præsentem disquisitionem pertinet etiam consideratio de *Ectasi diabolica*, cujus reminiscitur *Marcus Marci in Philos. restit p. 3. subs. 5. p. 269. Ol. Magnus in Epitom. histor. Septembr. lib. 3. Peucerus de var. divinat. gener. Rejes qu. 81. p. 1069. 1070. n. 5. Garman. mir. mort. diss. prælim. Sect. 1. §. 28.* quæ omnino *obnubilatione* sensuum & simul *obscura* quadam *privatione* motuum in corpore se sistit, quo phænomeno vero *dæmonis* activitas & *potestas* in *animum* & *corpus* inclarescit: unde illud iterum ulteriori meditationi se commendat, quod diabolus, utpote *spiritus suæ* naturæ suisque viribus magis conforme quid operetur, si *proximius* iterum in spiritum & *spirituali* quidem modo, per *communicationem* & *confusionem* idearum in animam, quæ ipsa etiam est spiritus & *per hanc in corpus* potestatem suam exercet & activitatem suam dirigit: quem modum ordine *principaliorem* & diabolo *magis* consuetum æstimamus, quippe qui *primam* suam incantationem per deplorandum *lapsum* hac *corruptione* animæ exercuit, ex qua posthac *mors* & omne *connexum* etiam *corporis* malum originem duxit: quo magis insuper *anima* hominis contemplatione, comparatione, æstimatione & *applicatione* cum rebus *naturalibus* occupata est, eo facilius est, *has* actiones animæ turbare, indeque varia *damna* causari, quam *ipsas res* naturales subtili & scrupuloso modo alterare, quamvis posterius æque diaboli *viribus* per *divinam* permissionem subjectum est.

§. XI.

Alia nunc excipit disquisitio, *quod* Diabolus *potestatem* suam in *corpus* humanum *mediantibus naturalibus* subjectis exerceat, dum vel *ipse* illa subjecta *subtili* modo corpori applicat & *insinuat*, vel per *sua instrumenta*, ministerio videlicet *malitiosorum* hominum id perficit; *triplex* iterum in hac consideratione occurrit respectus, *primo*

mo quid sentiendum sit de talibus *naturalibus* subjectis, homini *inimicis*, *deinde*, quod diabolus *talia* subjecta *proprio* suo concursu *activo* ad corpus *applicare*, *denique* quod id ipsum *per alios* committere queat, quod tamen *ipse fecisse* propterea judicandus est: inter alios *Joh. Langius lib. 2. Epist. 34.* hoc thema quadantenus ventilat: *an dæmones humana corpora morbis affligere* queant; conf. etiam *D. D. Præsidis Jurisprudentia Medica Part. I. cap. XI. §. 10. not. a. ejusd. Patholog. Sect. XI. p. 421. seq. Prax. univers. Sect. 906. Rejes qu. 97. n. 10. Guldenklee Lib. 7. p. n. 290. Bartholinus de morb. Biblicis cap. 19. p. 64.* quo singula scripta, quæ de *Morbis per Fascinum* provocatis tractant, referri merentur, quorum nonnullos præter prædictos nominare lubet, velut *Codronchium lib. 3. de venef. Langium lib. 1. epist. 38. Gemma lib. 2. de div. charact. c. 4. Hucherum l. 4. de malef. Rod. a Castro Medic. Polit. Lib. 4. c. 1. Bodinum lib. 3. dæmonoln. Remigium dæmonol. Delrium disquis. mag. Strozium Cigogna Magiæ omnifar. theatr. lib. 4. Joel in thes. de morb. hyperphys. & reb. magicis, Torreblanca Villalpandum in Magia divinat. Colbium judicium & consilium super miro veneficii casu, Hanium Epist. ad Sennertum veneficii Historiam exhibente, Heintzium de incantationis circa morbos efficacia, Ottonem de incantatione Puerorum, Conring loc. supr. c. Marquart. de morb. ab incantat. factis. Merclinum observat. incantamentorum:* huc pariter referendæ sunt historiæ obsessorum *vid. Merclini loc. cit. præfat. Bartholinus Act. Hafn. vol. 2. obs. 8.* neque tamen deest exemplum *simulati* dæmoniaci *conf. D. D. Præsid. Jurispr. Medic. cap. de Morbis veris & fictis; Borellus Cent. 4. obs. 47.* unde etiam *B. Spenerus* **in der Lauterkeit des Evangel. Christenthum** *Part. I. Vol. 1. p. 463.* dicit: **es giebt Menschen die von Teufel besessen, deren Kranckheit nicht bloß natürlich:** & alibi **in der Glaubens-Lehr** *Vol. 1. p. 349.* asserit etiam quod *obsessio dæmonica* connectat interdum cum morbis *naturalibus:* quare medici semper majori

jori

jori cura *signa* talium morborum annotarunt *vid. Rejes qu. 23. p. 259. Bartholinus Cent. 5. hist. 35. Merclinus l. c. in præf.* proinde etiam varii hanc diaboli potestatem *generandi* morbos *negarunt*, quorum aliqui nominati sunt a *D. D. Præsid. in Jurispr. Med. Part. I. c. XI. §. 11. not. c.* quo pertinet *Wierus de Præstig. dæmon. Leonh. Vairus de Fascino Lib. 5. c. 2. Scharandæus de ratione conservandæ sanitatis cap. 19. p. 147. Beckerus* **in der bezauberten Welt** hujusque asseclæ & Patroni: Quod vero nunc prædicta *naturalia* subjecta attinet, quibus ad suas technas uti potest diabolus, tunc illa non modo copia multa, sed in sua relatione ad corpus humanum *diversæ* sunt efficaciæ, unde quædam certas alterationes in *anima*, alia singulares mutationes in *corpore* causantur: quemadmodum enim *nexus animæ* cum *corpore firmus* & eximius est, ita varia talia naturalia subjecta pro *diversa* sua *relatione* ad corpus, discrepantes mutationes in animo provocant, quam considerationem illustrat *D. D. Præsidis Præfatio tract. de medicamentorum modo operandi in corpore vivo*, quæ differit, *de commercio animæ incorporeæ cum remediis corporeis* & deinde *disput. de Sensu vitali*, discrepat enim animæ *æstimatio* secundum *varietatem* illorum subjectorum, unde animæ actiones tam *mentales*, quam *vitales* differunt: illustrat hanc meditationem *discrepans* actio animæ, pro ratione oblati diversi *narcotici* remedii & *veneni*: quando itaque diabolo *vires* naturalium rerum & relationum ad se invicem, indeque obtinendorum diversorum effectuum *incognitæ* esse *haud* possunt, cujus intellectus per suum lapsum *non adeo* obstupuit, uti supra indicatum fuit, ita ipsi minime deficit *farrago* talium subjectorum, quibus *homini* & singulis *naturalibus* subjectis noxam inferre potest: & quemadmodum cacodæmoni talia constant subjecta, quæ varios *nocivos* effectus proferre possunt, ita per *æquipollentem* enunciationem ipsi etiam singularia *juvantia* adminicula

cula innotescunt, quibus cum *morbos naturales* curare potest, quod posterius *Rejes qu. 28. p. 361. 392.* demonstrat: ita enim aliquando contingit, ut plebejus & vilioris sortis homo *arduum* & intricatum morbum, *viliori* sanet remedio, *naturali* tamen & *ingenuo* modo, quem doctissimi viri subjugare non potuerant, unde alii *superstitiosi* & creduli homines mox *fascinationem* a priori commissam & adhibitam *falso* præsumunt judicio: interim hoc specimine monstrare placuit, quomodo aliquando velut per miraculum *naturali* auxilio naturales curentur *morbi:* quis itaque Diabolo hanc notitiam *naturalium denegare* poterit! quin rectius ipse etiam *naturalia* media ad *fugandos* morbos applicare scit: unde evenit, ut quemadmodum diabolus *corrumpendo* & confundo vires *animæ morbos* elicere & *generare* potest, ipse vicissim *per animam* & modo *sympathetico* & *antipathetico* iterum morbos *debellare* & extirpare queat, testimonio morborum per *imprecationes* provocatorum & per *deprecationes* curatorum, in quibus curationibus *aliquando* vires dæmonicæ concurrunt.

§. XII.

Proxima jam excipit consideratio, quæ cum præcedente cohæret, quod videlicet Diabolus *naturalia* talia subjecta non modo *possit*, sed prout ex ipsius *infernali*, adversa & *perniciem* semper minitante indole colligere licet, etiam applicare & *subtili* modo, qualis fraudulentis illius *technis* conformis est, *corpori insinuare soleat;* etenim si nonnulli morbi *extra ordinem* naturæ & *consuetos* naturales processus decurrunt, si illorum origines & causas etiam valde circumspectus, peritus & subinde a credulitate, superstitione & scepticismo liber medicus in *ordinario* naturæ statu, cursu & nexu haud reperit, si *intricatus* talis morborum status adhuc *altiorum* virium *concursum* prodit, si quædam in *naturæ Regno* occurrunt subjecta

cta, quæ miraculoso *ferme* modo *corpus* humanum afficere & *offendere* possunt, si Diabolo hæc subjecta admodum *perspecta* & cognita sunt, si diaboli indoles *destructionem* salutis perpetuo minatur, si diabolus *potestatem* habet in *corpora* operandi, hæc invadendi & *movendi*, quis itaque dubitare aut negare poterit, quod talium perniciosorum & adversorum subjectorum *applicatio* ad corpus humanum a diabolo *non fiat?* nihil enim probat, aut solide demonstrat oblocutio, quia *crassiori* respectu non concipio, *quomodo* diabolus talia subjecta *comprehendat* & *intra* corpus communicet, ergo ipsum *factum* est falsum! quis enim quæso *crassum* modum concipiendi pro *regula* & *fundamento veritatis* stabilivit & disposuit: & quot non *phænomena* in *libero naturali* processu occurrunt, quorum *modus fiendi* constanter *latet* v. g. ingressus motus in materiam, cohæsio motus cum materia, communicatio motus per materias, egressus motus ex materiis, &c. &c. ex quo defectu notitiæ modi fiendi, ipsum effectum negare velle, omni sobriæ Philosophiæ repugnaret; quo *subtili* itaque modo diabolus, utpote spiritus, *materias* arripit, eo subtili etiam modo illas corpori *insinuare* potest: quare *Sebitzius in dissert. de contagio* hanc *dæmonicam* perniciosorum subjectorum *communicationem* per modum communicati *contagii* illustrat, qui processus *inscio* homine & *insensibiliter* ac *invisibiliter* contingit, tamen *naturali* ratione succedit: sicut itaque diabolus nunquam *otiosus* est, sed spiritualem salutem & naturalem *salubritatem* omni studio *corrumpere* nititur, ita vel *ipse*, vel *per alios*, *adversum* hunc scopum exequi nunquam acquiescit, hacque ratione divino judicio atque permissu varia damna causari potest & solet, hinc vel ipse per ejusmodi naturalia media, quosdam *morbos excitat*, vel *naturali* modo *enatos* aliquos morbos suo actu & *potestate urget*, corrumpit, sustentat & pro sua nequissima indole vario modo *perniciem* provocat: neque negamus, quod diabolus ipse cum diversis *mate-*

riis corpus quoddam, *humano simile*, *formare* & cum eodem perinde hominibus varia animæ & corporis detrimenta inferre queat; & hoc eodem modo etiam fieri potest, ut diabolus cum hominibus *libidinosis* congressus ineat, quam considerationem allegavit *D. D. Præses in Jurispr. Medica cap. 5. §. 18. lit b. conf. Simon. Præsid. Acad. disput. 14. de impotent. conjug. cap. 5. th. 2. n. 14. 15. & n. 2. 3. Garman mir. mort. lib. 2. tit. 5. §. 64.* id quod etiam sentit *B. Spenerus* **Theol. Bedencken** *Part. II. p. 783. 591. 592.* quamvis proinde etiam concedamus, quod diabolus hominum *sensus* adeo *corrumpere* queat, ut sibi talia facta *persuadeant* & *imaginentur;* posito vero hoc *posteriori* modo, *diaboli indoli* & energiæ magis *conformi*, non *excludi* tamen potest *prior* modus, quoniam hujus infernalis adversarii modus nocendi & illudendi *discrepat*, pro ipsius *multiplici* efficacia operandi in *spiritualibus* & *naturalibus:* Ad hanc *potestatem* diaboli referri meretur ille casus, ubi *talia* aliquando in homine reperiuntur subjecta, quæ *ordinaria* naturæ via eo pertingere haud possunt, velut carbones, frustula vitri, mineræ, metalli, fragmena testarum & vasorum argillaceorum, fasciculi straminis, capillorum, plumarum, segmenta coriacea, aciculæ, clavi &c. &c. quæ singula subiecta *natura* humana in corpore suo formare haud potest: neque vero propterea *singuli* casus, qui de ejusmodi affectibus per incantationem ortis testimonium perhibent, *indiscriminatim* negandi & alicui *fraudi* humanæ adscribendi sunt, neque vicissim *efficacia imaginationis*, secundum Paracelsi fabulam *eo usque* extendenda est, quasi hæc subjecta per illam in corpore generari possent, quia *alia insolita* concrementa, in corpore humano obvia, ab *imaginationis* vi derivari possunt, quæ tamen concrementa, curatius spectata, a *talibus*, quæ modo nominata sunt, & hujus conditionis aliis, eximie *discrepant*, ut propterea minime argumentari liceat, si *aliqua* talia *singularia* concrementa *natura* fabricare potest, ergo *omnia* per eandem

dem ſuam vim formare poterit: *quomodo* vero diabolus talia *corpora* & ſubjecta *inſinuet* in homines, an per *minutiſſima* ramenta illa congerat, eademque pro ſua artificioſa energia iterum ita *connectat*, ut illud corpus in ſua *congerie* & aggregatione, ſuaque forma & figura compareat, an alio modo id exequatur, non cupidi ſumus aut explorare aut ſcire; propterea vero iterum *defectus hujus* notitiæ nullum ſobrium & *ſolitum* ſuggerit argumentum *de toto facto* dubitandi.

§. XIII.

Quemadmodum hanc malitiam Diabolus *ipſe* exercere poteſt, ita nulli dubitamus, quin ſuis *miniſtris* & inſtrumentis primo hanc *notitiam* de ſubjectis naturalibus, ad diverſos *nocivos* effectus in homine provocandos idoneis, *patefacere*, deinde *methodum* adhibendi aperire & in ipſa illorum *applicatione* ſubtili modo *cooperari* queat; veritas veneficii, quod ab *hominibus* committitur, neque *rationi*, neque *obſervationi* repugnat, modo iterum in hac disquiſitione *præconceptæ* opiniones evitentur: ſi enim diabolus per malas *cogitationes*, aut prava *inſomnia* &c. ſuas ſuggeſtiones in *ſpiritualibus* exercere poteſt, quidni poterit vario etiam modo, ſive per inſomnia, ſive per aliam viam, *mala* ſua artificia ſuggerere; ſi diabolus varia *apparitione*, *ſtrepitu*, imo *ſermone* ſe operoſum exhibere poteſt, quidni poterit etiam hoc modo ſua pernicioſa artificia manifeſtare & *indicare*, ut deinde ejusmodi homines a diabolo *edocti* ſive *præſtigiatores*, ſive *nigromantæ*, ſive *ſagæ*, *lamiæ*, *lemures*, *veneficæ* &c. dicantur, quod perinde nobis eſt, ſuas *pravas* & infernales *artes* exequantur: ſicut enim ex ſpeciali incitamento & ſeductione homines ſe invicem occidunt, aut eminens damnum alter alteri infert, quo *ſpirituales* ſuggeſtiones concurrunt, quidni a majori ad minus argumentari liceat, cum diabolus *omnem nocendi* occaſionem arripiat: ob id doctrinam de incantamentis *minime promiſcue* rejicimus, ſed minus etiam *in-*

discriminatim probamus, quoniam *veris* factis multæ *fabulæ* & diversis *solidis* rationibus variæ *aniles* opiniones & *superstitiosa* adserta intermiscentur: ob id in inquirenda hac doctrina iterum *prudentia* & *divino* lumine opus est, ne perinde diabolus cum sublimi *philosophica* speculatione hominum sensus *occœcet*: pari etiam ratione argumentamur ex *præmissis*, si diabolus per prædictam suam vim varios *morbos tollere* & *curare* potest, ita perinde ipse hanc *dæmonicam* artem huncque fucum, morbos debellandi, suis servis & *ministris* aperire & significare potest, ut per æquipollentem argumentationem morbi diversi etiam *magica* arte & per incantamenta a prædictæ qualitatis hominibus *curari* possint & quod assertum von weisen Frauen ut vulgo dicuntur non omnimode sit fabulosum, quæ vel ex *synergia diaboli* in morbis excitandis & auferendis, vel indicandis furtis artem suam dæmonicam administrare possunt, ad quæ artificia edenda æque *subtilis* & specialis *communio* & socialitas cum Diabolo requiritur, qualis omnino erigi & esse potest, quoniam hactenus nullæ solidæ rationes contrarium testantur, aut hanc Cacodæmonis potestatem refellunt: neque dubitamus, quod diabolus res *naturales*, corpori humano *minus* perniciosas, tamen *cum aliis* naturalibus subjectis ita *permiscere* queat, ut homini eximiam *noxam* afferant; sicut *chymicus* è subjectis minus perniciosis, summe inimica per variam corporum resolutionem & combinationem efficere potest; adeo ut homo artifex ad sua artificia modo humida, modo sicca procedat via, ita diabolo pro sua callida notitia non tigillo, crucibulo, retorta & furno docimastico opus est, sed ipsi perinde compendiosiores constant methodi, sicut unus artifex homo, alterum experientia, superat: quare non necesse est ut *natura* rei mutetur, id quod diabolus perficere haud potest, sed id fieri potest, ut rerum *principia* vario modo *misceantur*, quæ hac nova commixtione in

relatio-

relatione ad corpus humanum modo *proficua* modo *inimica* fiunt: in quibus singulis negotiis sese diabolus, utpote *peritum physicum* & *chymicum* prodit (quod æque minus omnipotentiæ & gloriæ Dei contrariatur, ac *impius* homo acutissimi physici & peritissimi chymici characterem tenere potest) ubi iterum illa *oblocutio* nullius est valoris, quod *notitia* in *physicis* & *chymicis* eo usq; se haud extendat, id quod illi harriolantur, qui hunc infernalem dæmonem admodum *imbecillem* fingunt, quamvis a *majori* potentia diaboli, quam in *regno DEI* & mere *spiritualibus* exercet negotiis, ad *minorem* illius energiam in *regno naturæ* facilius concludere, subinde ex *indole spiritus* eandem capacitatem magis comprobare queamus, id quod hactenus passim a nobis observatum fuit: etenim ipse diabolus ad regnum omnipotentiæ & præcipue naturæ pertinet, qui post suum lapsum animal serpentem *immediato* actu & astu ad *malitiosum* suum adhibuit scopum, proinde hominis *principalissimam* partem, videlicet *animam*, hujusque functiones *superiores* mentales, deinde etiam appetitum depravavit, unde in *eminentissimo* exemplo affatim constat, *quanta* potestate diabolus polleat in corporibus aut subjectis ad *naturæ regnum* spectantibus actuandis & *abusiva* applicatione ad infensum suum scopum disponendis; neque illa argumenta vel ex rationis vel ex revelationis lumine, multo minus ab exemplis *contrariam* confirmant sententiam, id quod hactenus omni occasione monitum fuit: & quamvis actio *spiritus* in *materiam* adeoque *diaboli* in *corpora* naturalia, quoad *nonnullas* circumstantias *discrepet*, ab actione *hominis* in *naturalia* subjecta, quæ posterior vel organorum *sensoriorum*, vel reliquarum corporis *partium* ministerio perpetratur, tamen ex eo non datur conclusio, quasi *non alius* supersit modus, quo inter subjecta *incorporea* & *corporea* intercedat commercium: prædicata enim discrepant pro varietate subjectorum: sicut actio *animæ humanæ* mediante suo *corpore* est in extranea corpora,

pora, ita *alius modus* est actionis *angelorum* in corpora; quare diabolo minime denegare possumus capacitatem: *agendi in naturalia*, eademque *diversa modificatione* applicandi.

§. XIV.

Excipit jam annotatio quod Diabolus *immediate* corpora hominum ex speciali divino judicio atque permissu invadere maximisque *tormentis* affligere queat: nam si *generice* Diaboli actio in corpora negari non potest, ita etiam interdum *speciali* influxu operatio infernalis hujus dæmonis in corpus humanum contingit & hæc actio iterum *diversa* esse potest, vel organa *sensoria corrumpendo* & confundendo, ut *ab extra* obvia subjecta *sinistre* percipiantur, quare contingere potest, ut homines aliquando ob *perversam* actionem in organis *sensoriis* quicquam oculis conspicere, auribus percipere, *aliterque* sentire sibi *persuadeant*, quod tamen organis illis *actu haud* obversatur: sic diabolus *spiritualiter* & *naturaliter* ὀφθαλμὸν πονηρὸν (ein böses oder arges Auge, ein Schalck-Auge *Marc. 7. v. 22. Matth. 6. v. 23.*) efficere potest, sicut *naturali* ratione organa hæc *sensoria* adeo *depravari* & alterari possunt, ut plane *perversa* inde emergant officia; propterea vero non denegamus Diabolo potestatem, qua ipse etiam *ab extra* talia *phasmata* producere & organis sensoriis *præsentare* & offerre queat: ipse enim *internos* & *externos* sensus *corrumpere* & ad pravum suum scopum dirigere & applicare potest, siquidem plane aliquando hominis *imaginationem* ad technas suas exercendas impendere & adhibere valet; eapropter primo non quilibet *incantamenti* accusati casus huic *imaginationis* energiæ adscribendus est, velut Paracelsus eidem *plus* tribuit, quam par est; deinde non omnes tales casus *nudo naturali* ordine & processu per imaginationem perficiuntur; quare Diaboli *astus* & infernale artificium *multiplex* est; proinde per stygii hujus hostis potestatem *ordinarii* naturales

turales in corpore motus adeo *alterari* possunt, ut pessimi inde proveniant effectus *morbosi*, velut miserabiles contracturæ, aridurae, intumescentiæ, spasmi, partium extensiones, miræ agitationes, tractiones, concussiones &c. aut denique ipse Cacodæmon *alienis* motibus corpora hominum vexare & *cruciare* potest, evidenti *corporaliter obsessorum* testimonio, in quibus per vim Diaboli tales truculenti & deplorandi *animi* & *corporis* cruciatus observari poterant: hac occasione reminiscimur alicujus oblocutionis, quando quidam de *obsessis* statuunt, quod S.S. non *diabolicam* intelligat obsessionem, sed quando de obsessis & de expulsione illius spiritus loquitur, vocabulo *dæmonii* utatur, de qua voce *B. Spenerus* **in der Glaubens Lehr** *p. 1368.* **in der Predigt auf das Fest der Reformation Lutheri** ita differit: Hier ist wohl in acht zunehmen, daß das in den Grund-Text stehende griechische Wort δαιμόνιον welches unser liebe Lutherus hier auch giebt **Teufel**, sonsten eigentlich auch heisset einen Geist, der nicht in einen groben Leib ist, und also auch eine Seele die aus dem Leib abgeschieden ist; siquidem *Chrysostomus in Homilia Matth. 8. v. 29. Luc. 16. v. 2.* per dæmones animas violenta morte enecatorum & Martyrum intellexit, quemadmodum *diversam* dæmonum acceptionem explicat *Garmann in mirac. mort. Lib. 2. tit. 10. §. 9-13.* inde quidam statuerunt, quod in *obsessis*, spiritus *intermedius* morbos & afflictiones generaverit: (quales tamen ne ipse quidem *Beckerus in mundo suo fascinato. Lib. 2. cap. 3.* concedit) sed sciendum quod Salvator *Marc. 3. v. 22. 23.* in sua apologia reminiscatur *dæmonis*, *Beelzebuli* & *Satanæ* in una eademque causa & *Luc. 13. v. 16.* illa vincula, quæ *v. 11. pnevmati* adscribuntur, nunc expresse *Satanæ* adscribat, qui *Satanas* secundum Stylum S. S. non est Spiritus *intermedius*, sed *Diabolus:* ex ejusmodi obsessis itaque facile patet, *quantam* vim habeat diabolus in *corpus* humanum, *vehementes* commotiones excitando, *ordinarios* motus turbando, alterando,

impe-

impediendo & minuendo, *humores adversis* principiis inquinando, corrumpendo & contagio quodam contaminando, testimonio plagæ Ægyptiacæ & Jobi: ob id non modo *extraordinarios* morbos humani generis omnisque salutis adversarius provocare, sed & alias *familiares* & alibi a causis *naturalibus* evenientes morbosas afflictiones causari potest, sicut *Delrio disquis. magic. lib. 6. p. 1. c. 3. s. 3. Codronchius de morb. venef. lib. 2. c. 3.* abortum magica arte excitatum commemorant, quo multi alii morbi pertinent, qui a prædictis authoribus enarrantur, in quorum scrutinio iterum *selectu* & circumspectione opus est, ne in præsentis thematis disquisitione in ullo *extremo* error committatur, in quem facile vel *creduli*, vel *scioli* incidere possunt: quare *Sennertus de Fascino lib. 6. part. 9. c. 5.* etiam refert, quod *in eo* etiam Diabolus suam *potestatem* inter homines exerceat, ut varios adeo *occæcet*, quo *simplicem* veritatem subterfugiant & causas nude *naturales* cum *dæmonicis* viribus *confundant*; unde adhuc hoc loco ominosæ illius *Nodationis* memoriam injicimus, de qua agit *D. D. Præses in Jurispr. Med. part. 1. cap. 2. §. 16. lit. a. b. p. 32. Arnisæus de jur. connub. cap. 6. sect. 6.* quæ perinde tam *naturalibus* mediis, quam etiam *diaboli* alio artificio & *spirituali* illius energia motrice perpetrari potest, secundum varios hactenus descriptos modos atque processus.

§. XV.

Quam *diverso* itaque modo Diabolus *morbos generare*, tam diverso etiam processu illos *curare* potest, vel in *animum* ejusque diversas *operationes* agendo, vel varia *media* subministrando, vel *immediato* activo suo concursu aliquid perpetrando, unde morbus sufflaminatur, de qua consideratione in præcedentibus passim actum fuit; quare & spirituali sive *archeali*, imo *sympathetica* & *antipathetica* methodo & *physica* ratione perinde per inventionem & artificium mali illius Dæmonis morbi quidam

dam

dam extirpari possunt, id quod vel ipse Diabolus committit, vel per sua instrumenta perficit: ast *Chrysostomus* dixit *satius est homini Christiano mortem subire, quam vitam ligaturis & incantamentis redimere* & *Rejesius qu. 46. p. 572.* eloquitur *non potest corpori esse aliquid utile, quod animæ nocet* & *p. 574. ad corpus redimendum, neutiquam anima perdenda: piissimum & tutissimum est, in Dei voluntate acquiescere & potius mortem sustinere, quam reluctante conscientia sagas implorare dixit Conringius de incantationis efficacia circa morbos* §. 27. huc omnes veri Theologi consentiunt & pura admonent conscientia: quare *B. Spenerus* **in der Lauterkeit** *Part. I. p. 423.* asserit: Menschen Kunst ist verflucht, welche eine Seele verderben kan, & *p. 178. 179. 184.* valde exprobantur *incantamenta* & *magicæ* imprecationes atque deprecationes: optimum remedium est quod *B. Spenerus* commendat **in der Glaubens-Lehr** *p. 352.* quando dicit: Es wissen manchmahl Christliche Medici nicht, wie es komme daß bey einigen Zuständen nichts anschlagen will; vielleicht aber geschieht es, weil müglich ist, daß zuweilen etwas auch in den Kranckheiten von solchen geistlichen Ursachen komme, gegen welche die Artzeneyen nichts vermögen, und dahero das Gebet so viel als immermehr die Artzeney in den Kranckheiten zu Hülf genommen, und der HErr, so allein dem Satan die Macht nehmen kan, angeruffen werden muß; **im Anhang** *ibid. p. 69.* dicit: Wir haben auch zu unsern Zeiten bey der Evangel. Kirche Exempel, daß der Teufel auf anhaltendes Gebet hat weichen müssen: operose itaque medici artifices scrutantur, an per *remedia naturalia* Dæmones *fugari* queant, quam quæstionem inter alios ventilat *Rejes. qu. 28.* qui author *p. 334. 335.* demonstrare nititur, quod *naturalia* in dæmones non operentur; & *p. 336.* dicit, quod morbi dæmonici expelli possint, quando medicamenta fœdos humores *melancholicos* educentia, quos dæmones amant, propinantur, ita fore, ut dæmones cum perniciosis suis effectibus fugam dent: quod itaque diabolus *precibus* & jejunio *expelli* possit, ipse Salvator testatus est, an vero cum *fœtidis* suffimigiis ejici & profligari queant, uti *Judæi*

suffitibus diabolos fugare voluerunt velut *Just. Martyr & Josephus lib. 8. antiqu. jud.* referunt, minime adserimus; nam qui ipse omni *malitiæ fœtore* inquinatus est Spiritus, is fœtorem *physicum* haud æstimat uti, frustra *Psellus* & *Cæl. Rhodiginus* dæmoni *Sensum corporeum* adscripserunt, quos etiam *Conringius l. c.* propterea refellit, unde nulla ratio suppetit, cur diabolus *fœtida* perferre *nequeat*, quemadmodum aliorum dogma est, (ut supra indicavimus) quod Cacodæmon in fœtidis *melancholicorum* humoribus suum pabulum suamque sedem quærat erigatque; & quoniam *fœtoris nulla* actio est in *spiritum*, nisi spiritus mediante *organo corporeo* fœtidos vapores excipiat, hinc *fabulosa* est adsertio, quod dæmones tales fœtida effluvia perferre nequeant; eadem est fabula, quod Leo infernalis, nimirum diabolus *gallicinium* reformidet, quia falsa etiam circumfertur opinio, quod inter Leonem animal & gallum gallinaceum eximia intercedat antipathia; unde illam nominatam fabulam castigavit *Garmannus de mirac. mort. lib. 2. tit. 10.* §. *54.* quid quod rectius adstruimus quod Diabolus *fœtorem causari* possit, quando ipsi commercium cum *hominibus*, qui fœtida *sensu* excipere possunt, intercedit, adeo ut iterum cum *tali illusione* naturali modo procedere possit, quamvis *Zacchias quæst. med. legal. lib. 4. tit. 1. qu. 10. n. 38.* talia phænomena nihil naturale in se habere existimaverit: fusius de tali fœtore a diabolo excitato egerunt *Jerem. Drexel. Rog. Damnat. c. 5. Sulpitius in vita Martini: Thyræus de Dæmoniacis Part. 4. c. 52. n. 12. Remigius Dæmonotal tr. lib. 1. c. 16. Garmann de mirac. mort. Lib. 2. tit. 8.* §. *16. 50.* interim *Paracelsi* fuit traditio *de occult. Philos. cap. 10.* quod Diabolus fœtidis odoribus fugari & suavibus allici queat: quodsi etiam ulla *vera* historia commemorari queat, quod unquam tale quid contigerit, tunc Diabolus pro sua vafritie atque calliditate fuga sua *adversionem* fœtidorum *simulare* & homines in *fœda superstitione* confirmare potest, æque ac de aurigis dicitur, quod faciliori vehiculi sui successu fruantur, si strenue execrantur, aut quod ominosæ quædam *apparitiones* post di-

ras

ras execratione facilius evanescant: *conf. Garmann. l. c. lib. 2. tit. 10. §. 11.* proinde cum *Scaligero exerc. 359.* dicimus, quod in multis morbis *ipse dæmon agat, quod stultus magus suis verbis & mediis se agere putat:* Porro aliqui quæstionem movent, an non *morbi* a *dæmone* provocati & per *naturalia* subjecta causati, *curari* possint *mediantibus* aliis *naturalibus* adminiculis, quorum vires *prioribus* à dæmone adhibitis *contrariantur?* ast hæc quæstio multis difficultatibus est obnoxia; cui enim ex vero & *certo* constare poterit, quænam subjecta, ad *veneficium* perpetrandum, fuerint adhibita & dum talia media communiter singulari & velut *specifica* virtute prædita sunt, cui porro *constat*, quænam *alia* remedia prioribus *opposita* sint: imo quando ex *divina* permissione diabolus cum *naturalibus* subjectis noxam & *damnum* intulit, cur non ex eodem *divino* judicio ipse poterit, *contrariorum* naturalium subjectorum vires eludere & *avertere:* neque in hac disquisitione *experientia* sufficit, quoniam effectus, qui *salubres* fuere, adhuc *æquivocationibus* sunt submissi & dubium illud occurrit, an æque *illi* casus, in quibus *talia* remedia proficua observata sunt, fuerint *veri* dæmoniaci morbi & non a *nuda materiali* causa originem traxerint, quam dein illa remedia *simplici naturali* effectu atque methodo subjugarunt; quare contra *Satanam* rectius *spiritualibus* armis, omnium maxime vero ardentioribus *precibus* pugnandum erit: Multa passim commemorantur remedia contra *Fascinum*, ex parte *superstitiosa*, velut a *Marcello Empirico, Plinio, Varrone, Remigio, Wiero &c.* ex parte *naturalia* a *Sennerto l. c. Rejes. qu. 28. & 97. Merclino l. c: Paulo Baccone observ. natur.* 7. referentibus *Act. Erud. Lips. 1686. Mense Octobr. p. 479.* ex parte *specifica*, velut tales historiæ passim ab hactenus nominatis authoribus proferuntur; quo pertinet observatio in *A. N. C. dec. 1. an. 6. obs. 61. de ulcere ex veneficio cum cineribus combustæ sagæ curato, conf. A. N. C. dec. 2. an. 5. obs. 18. an. 8. obs. 117. an. 9. obs. 105. dec. 3. an. 7. obs. 78. Schol. p. 130. Westphali Pathologia dæmoniaca, Fromannus de fascinatione magica: Müller de annulo pronubo:* Denique per

per modum ſupplementi præcedenti tractationi illuſtrandæ commendamus conferenda *de exiſtentia veneficarum A. N. C. dec. 3. an. 1. obſ. 3. de membri virilis ab amaſia veneficio retracti felici in integrum reſtitutione ibid. obſ. 166. conf. Simon de impot. conjug. cap. 6. th. 4. num. 21. 22. Faſcinationis rariora exempla ibid. an. 2. obſ. 204. Veneficium admirandum ibid. obſ. 112. Faſcinationes Sideritide curatæ ibid. an. 7. de injectis per veneficium ibid. obſ. 124. cum ſcholio de faſcino per imaginationem ſuccedente ibid. an. 10. app. p. 183. de Veneficis conf. dec. 3. an. 10. app. ſchol. p. 176. ſeq.* illud vero adhuc brevibus cum *Harprechto in Conſil. Tubingenſ. p. 145. inſerimus quod in Crimine veneficii evidentiſſima argumenta adeſſe debeant;* quare in hac diſquiſitione omnem *circumſpectionem* iterato monito commendamus: Aſt nunc penſum noſtrum conficimus & DEO devotiſſimas grates tribuimus, quod in explicanda ardua hac meditatione nobis auxilio ſuo adeſſe voluerit, cujus divinam opem nobis aliisque apprecamur, ut vi Chriſti, qui per mortem abolevit eum, qui virtutem habebat mortis, hoc eſt diabolum, de omnibus hujus operibus victoriam reportemus, quemadmodum illi qui conculcavit caput ſerpentis æternæ acclamandæ ſunt laudes; quare claudimus cum dicto illo Apocalyptico *c. 12. v. 10. 11. 12. nunc facta eſt ſalus & potentia & regnum DEI noſtri & poteſtas Chriſti ipſius, quia dejectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos coram DEO noſtro dies & noctes, ipſi vero vicerunt illum per Sanguinem agni & per verbum teſtimonii ſui & non dilexerunt animam ſuam usque ad mortem propter hoc exultate cœli & qui in illis ſunt habitantes:* Ita in omnibus noſtris negotiis manebit

SOLI DEO GLORIA.

Pag. 11. lin. 15. leg. Hexerey.